Mons.r d'abbes doct.r [illegible] [illegible] professeur

de l'academie de Montauban

Voyes Sennert conciliatio dogmaticorum cum chymicis:

riolan, bavalis, guelin, nicolet, pictor,

de l'orme, patin, le comte, lusse, petit,

brayer, morvau

p. 26 l'antimoine

44 de abditis rerum causis

53 de anima Mundi.

73 Carminativum anisi.

75 Extractum Magnetis

AD LIBAVI

MANIAM,

IOAN. RIOLANI

RESPONSIO PRO CENsura Scholæ Parisiensis contra Alchymiam lata.





PARISIIS.

In officina Plantiniana, apud ADRIANVM PERIER, via Iacobæa.

1606.





AD LIBAVIMANIAM IOAN. RIOLANI responsio, pro censura Scholæ Parisiensis, contra Alchymiam lata.



Vt intelligatur quã iustè scholæ Parisiensis decreto damnata fuerit Quercetani Alchimia, atque vt æquitas nostræ causæ euidentiùs pateat, contentionis totius originem breuius quam fieri poterit, ab ouo repetam. Adsis animo lector, & diligenter attende.

Quercetanus non ita pridem amicè & familiariter cum Medicis Parisiensibus exercebat Medicinam, nescio quo impulsus genio pro veritate principiorum Chymicorum Salis, Sulphuris & Mercurij librum edidit, quem (vt hoc veluti stimulo scholæ proceres irritaret) singulis nominatim inscripsit: quo libro non potuit suo furori temperare, euomuit virus, quod iam diu pectore conclusum tenebat, calamum strinxit in remedia nobis vsitata, nec tantum confirmando sua refutauit Hippocraticæ Medicinæ principia, sed etiam methodum

medendi nobis familiarem in contemptum adducere tentauit. A Decano pro more conuocatum Medicorum collegium, rogauit me vt candidè referrem ad ſcholam ſiquid ex iſto libro detrimenti caperet reſpublica. Renuntiaui non tantùm nobis iniuriam fieri, ſed etiam clanculùm induci (vt ille ipſe ſcripſit) quartam ſectam Medicinæ, ab Hippocratica non tantùm principiis, ſed etiam morborum cauſis, ſignis & remediis differentem. Quibus poſitis & conceſſis non poſſe ſtare, quam tuemur, dogmaticam Medicinam. Audita hac renuntiatione & rationibus diligēter ſubductis, decreuit ſchola librum Quercetani indignum eſſe luce, & perpetuo ſilentio obruendum. Venit illi in auxilium Turquetus, qui celeberrimam ſcholam atrociſſimis conuitiis proſcidit, lacerauit: ſed Phaëton iſte ſuæ temeritatis iuſtas pœnas dedit; pœnitet illum & pœnitebit ſcripti tam impudentis. Rediit ad certamen Quercetanus & nouum librum pro veritate ſuorum principiorum publicauit, quo non in mixtis modò, ſed etiam in elementis, nec in elementis tantùm, ſed in cœlis commemorata tria principia ineſſe affirmauit. Nonne tu ille ipſe es Libauius, qui in ſcripta tua retuliſti eum non videri tibi ſanæ mentis, qui tam ineptum propoſitum defenderit? Nonne tu es ille ipſe Antigramanicus, qui ſcripſit (pag. 556.) putida eſſe, caduca & falſa iſta principia, quibus nihil ſtabile poteſt imponi: nec contentus his titulis, adieciſti (pag. 637.) non tantùm eſſe

anilia & phantastica, sed etiam stulta & impia? Vnde tam subita & repentina mutatio? Non credidissem quod erat in ore omnium, Libauij versatile esse ingenium, quocunque illum rapit impetus deferri, Vertumno, Proteo & Chamæleonte inconstantiorem. Nisi hanc vulgi & doctorum hominum opinionem hoc scripto confirmasses, quo miris laudibus in cœlum effertur, qui non ita pridem tibi desipere videbatur.

Tantus amor laudis, tanta est victoria curæ.

Verum pergo, vt cœpi, controuersiæ nostræ seriem enarrare. Quercetani secundus liber prioris assertor iterum à schola damnatur: ne quis autem tibi similis, hoc est, ad contradicendum paratissimus, existimaret omnem Alchymiam damnari, schola hanc restrictionem adiecit: Alchymiam illam se proscribere, quæ ab Hippocratis Medicina principiis, morborum causis, signis & remediis tam longè distat, quàm cœlum à terra, censuram non dirigi in doctorem, sed in doctrinam quam ipse tuetur. Quercetanus propriis viribus diffidens, implorat opem duorum Medicorum Aurelianensium, Bauchineti & Haruetis: verùm Banchinetus cùm intellexit non damnari à nobis remedia Chymica, neque præparationis nouos modos omnino improbari, sed quartam sectam à dogmatica planè differentem; quasi mutata sententia, à proposito destitit. Furiosus Haruetus conuitiando extremum spiritum efflauit, eum-

que suo, id est Paracelsi magistro, reddidit. Bauchinetus, vt est verisimile, legerat librum à filio meo Pharmaciæ & Anatomiæ Professore Regio scholæ iussu descriptum: quo quidem minutius institutum scholæ declaratur, vtque differat Hippocratis Medicina ab Hermetica, partium Medicinæ longa inductione manifestè declaratur.

Venisti tu quintus, mendacissimæ istius sectæ patronus, quo pulsus genio, diuinare vix possum, nisi (vt olim Erostratus templi Dianæ incendio) inde tibi nomen & famam quæras quòd scholæ quam omnes docti præter te & tui similes venerantur, iustissimo decreto repugnaris. Hoc si speras Libaui, erras toto cœlo, audacem te & temerarium posteritas iudicabit, qui audeas selectissimorum tot doctorum sententijs resistere: nam auctore Platone, non est ignorationis certius argumentum, quã sapientum decretis obsistere. Schola Parisiensis de quinquaginta doctoribus potest saltem decem seligere, quorũ minimus, si tecum certamen ineat, remittet te inermem, aut proprijs armis iugulabit. Liberabo illos isto duello; quia tu nominatim me vocas ad certamen.

Vt autem ordine & ex arte procedat tota disputatio, Alchymiæ nomen in primis distinguamus, vt constet de quo significato mota sit cõtrouersia: omne enim homonymum priùs diuidendum est, quam definiatur, aut propriæ affectiones de illo demonstrentur; alioquin vagus oberrat animus, nec habet certum sub-

iectum in quó ſubſiſtat. Habet autem Alchymia duo ſignificata tam differentia, vt vtrique ſolum nomen ſit commune, ratio planè differens. Quid enim habet commune Alchimia metallorum in aurum tranſmutatrix cum medicatrice præter nomen? Huic ſanitas eſt pro fine, illi auri ex cæteris metallis confectio: eſt homonymũ ἀπὸ τῆς τύχης: Alchimiæ enim nomen vtrique ſignificato temerè impoſitum eſt, vt nomen canis ſidereo, domeſtico; & marino, non ἀπὸ τῆς διανοίας conſulto inditum, vt homo viuenti per ſe primo κατ' ἀναλογίαν pi-cto. Cui enim prius & potius conuenit Alchimiæ nomen? aut quo conſilio ex vno ſignificato in aliud deriuatum eſt? Atqui Chryſopœam vt vanam & præſtigiatricem ſchola Pariſienſis per ſuum cenſorem inuictis argumentis refutauit; Illa pollicetur quod fieri nõ poteſt: quia ad generationem metalli præter materiam idoneam requiritur duplex efficiens, Sol vt generabilium omnium communis parens, deinde certa vis & proprietas indita huic, non illi terræ, ferri aut argenti procreatrix, quæ eſt efficiens particulare, coniunctum & immediatũ. Cur hîc veniunt felicius vuæ, arborei fœtus alibi, atque iniuſſa vireſcunt gramina? Quippe ſolo natura ſubeſt. Cur quibuſdam terris congenita eſt vis horum non illorum lapidum, harum non illarum plantarum procreatrix? Quia à cœlo & ſolo varia natura. Efficiens hoc, eſt cauſa ſine qua generatio non fieret: ſol & homo generant hominem, verùm homo vt con-

inducta & synonyma causa, sol vt remota & homonyma. Proprietas huic aut illi terræ insita, vtpote plumbifica aut aurifica est vera & synonyma causa plumbi vel auri, quam ars ad ortum metallorum conferre non possit. Itaque hanc Alchymiæ partem vt fallacem quæ polliceatur quod præstare non potest, schola Parisiensis meritò proscripsisset, sed non fuit hoc illius consilium; quia tales impostores de republica expellere solius est principis aut Senatus. Non schola Medica Venetorum, sed æquissimus Senatus illos expulit ciuitate, & tanquam seductores exterminauit. Dirigitur ad Chimiam medicatricem scholæ nostræ censura. Verùm illa rursum subdiuidenda est, vt constet apertius quæ pars nostro decreto exulet. Est vna Chymia Medica, quæ auctore Quercetano quartam sectam constituit, proinde ab Hippocratica differentem. Huius Medicinæ (si modò isto titulo sit digna) principia sunt Sal, Sulphur & Mercurius, in quorum symmetria sanitas, morborum causæ in istorum trium ametria; remedia, potissimum cathartica, à mineralibus potius quam à plantis & animalibus petenda; eaque morbis & morborum causis similia, vt sales salibus. Hanc sectam vt inanem schola suo decreto exterminauit, iterumque exterminat: Alteram vero quæ versatur in noua præparatione remediorum, si non approbat, saltem non improbat: liberum relinquit cuique iudicium. Ego, vt

dicam liberè, contentus sum ordinariis Græcorum, Arabum & Latinorum Medicorum, qui nos præcesserunt, remediis: tantam enim copiam illorum scripta mihi suppeditant remediorum, tam alterantium quàm purgantium, benignorum, vehementium, mediocrium, tot remediorum formulas summi illi viri mihi suggerunt, vt vix millesimam eorum partem experiri adhuc licuerit. Cur ad alia conuolem inusitata?

Nonne tu es ille Libauius Antigramanicus, qui scripsit (pag. 730.) verissimum esse remedium quod est tutissimum? tale autem esse quod experientiis pluribus est comprobatum & publicè receptum? Quid hoc aduersus Gramanum, si non existimes dogmatica chymicis præstare, quia tutiora? esse verò tutiora, quia pluribus experimentis comprobata & publicè recepta? Curiosis tamen, & nouitatis studiosis, delectus libertatem relinquo, per me licet illis insanire, & neglectis frugibus vesci glande, dummodo noua remedia & nouos præparationis modos referant ad Pharmaceuticen. Arabes non tantum remediis quam plurimis amplificarunt Medicinam, quæ antiquitas ignorauerat, sed etiam innumeris formulis, iulepis, apozematis, sirupis eam exornarunt. Verum propterea medendi nouam artem, seu Medicinæ quartam sectam non introduxerũt, sed remedia, eorumque nouas formulas illi omnes ad Pharmaciam reuocarũt, remedia ad delectum, formulas ad præparationẽ.

Itaque ad eorũ imitationem quotquot excogitari vnquã poterunt noua remedia & nouæ remediorum formæ ad Pharmaceuticen referenda iterum atque iterum contendo ; neque propterea aut illa reijcio aut reijcienda esse existimo; proinde vt constet deinceps te ad mentem scholæ disputare, tibi ex officio incumbit confirmare quartam illam sectam principijs, causis, signis & remedijs ab Hippocratica differentem: nam si canem latrare ad disputandum proposuero, meamque thesin de domestico interpretatus fuero, frustra probabit aduersarius, neque marinum, neque sidereum latrare: quia dirigenda sunt argumenta ad mentem respondentis. Non tantùm schola per suũ censorem semel atque iterum significauit se non promiscuè Alchymiam omnem exterminare; sed eam tantùm quæ principijs falsis & ridiculis Hippocratis Medicinam subuertit, verumetiam suæ censuræ hanc clausulam speciatim inseri voluit. Quam tu es mutatus ab illo Hectore, qui redit exuuias indutus Achillis; quam tu es dissimilis ab illo Antigramanico Libauio, qui de illius sectatoribus vt Quercetano & Harueto triumphauit, qui tam animosè Hippocratis principia aduersus Paracelsica propugnauit. Efflabas tum calidum quando scribebas eum non videri tibi sapere, qui in cœlo & elementis ridicula ista tria principia poneret; efflas ñunc frigidum eodem ore, cùm illorum fautorem ad cœlum vsque extollis. Dedisti olim medicinæ studiosis panem, offers

nunc lapidem. Sola Antigramania veluti Aiax Mineruæ clypeo tutus possum tela quæ vibras pro Quercetano retundere; examinis tamen singula capita placet ad examen rationis sistere.

Exordiris à commendatione Alchymiæ eáque potissimùm commendas ab antiquitate: miror te nouitatis studiosissimum. antiquitatẽ tanti facere, vobis enim vetera in vitio, noua in honore esse solent. Aristoteles primo suæ sapientiæ docet artes omnes à rudibus initijs inchoatas cepisse sensim incrementum; rudes erant primùm & incultæ scientiæ, paulatim verò labore & industria hominum sunt perfectæ.

Sumpserunt artes hac tempestate decorem,
Nullaque non melior quàm prius ipsa fuit.

In natura quod est generatione primùm, est vltimum perfectione: ouum vt origine prius est pullo, ita imperfectius; verum (vt ille ait) si Phrinis nõn fuisset, nunquam Timotheus in Musica, tam clarus extitisset. Primis auctoribus prima laus debetur: facile enim est inuentis addere, inuenire vero, vt difficiliùs, ita pulchrius.

Originem Alchymiæ repetis à Tubalcaino, qui fuit faber ferrarius, verùm comparatio fieri debet inter res eiusdem generis. Metallourgica toto genere differt à Chymiatrica. Quare eius Alchimiæ de qua inter nos controuersia est, frustra repetis originem ab arte fabrili.

Non poteſt filia cenſeri nobilis,cuius pater fuit faber ferrarius. Tales artis ſocios Chryſopœii patienter non admittent; ſunt fabri ferrarii infinitis in regionibus, ad quas nondum peruenit Alchymiæ nomen. Vis, dicam, te iudice à quibus Alchymiæ origo ſit repetenda? Ab his,

Qui primi gladios hominum ſtrinxere nefandos.

Hi ſunt infelici ſidere nati ad ruinam & perniciem generis humani, quemadmodum pyrii pulueris & ſclopetorum inuentores, quos expediebat aut non naſci,aut quàm ocyſſimè aboleri.

Ægyptij poſt diluuium Alchymiam excoluerunt, in quibus Hermes ille ter maximus recenſetur, qui, ſi Suidæ creditur, hac arte adeo potentes euaſerunt, vt reſiſterent armis Romanorum. Eſtne veriſimile Ægyptiorum principem ter maximum medicatricem Alchymiam exercuiſſe,eiuſque beneficio Romanorum armis obſtitiſſe? Hermes Chymicus, me iudice, fuit Arabs Medicus, cuius remedia quædam, minimè tamen Chymica, extant apud Meſuæum. Sed impoſtores, vt quærerent ſuis inuentis aliquam gratiam ex antiquitate & auctoritate tanti viri, Hermeti Triſmegiſto ſua commenta adſcripſerunt, vt vos Alchymiam; Hoc fine infiniti libri Hippocratis & Ariſtotelis nomine circumferuntur, quos ex ſcribendi ſtylo & doctrinæ diſſenſione poſteritas tanquam ſpurios,& adulterinos reiecit.

Verùm fuerit Hermes ille ter maximus non tantùm Chryſopœæ, ſed etiam Chymiatricæ ſtudioſus, attamen Hippocrates illum aliquot ſeculis præceſſit, vt Genebrardus firmiſſimis argumentis demonſtrauit. Quare ſi ab antiquitate laus aliqua arti ſit quærenda, Hippocratis Medicina à Galeno & Arabibus illuſtrata, vt antiquior; ita præſtantior eſt Chymica. Nauigatio Argonautarum ad vellus aureum haud dubiè deſignat Chryſopœam, quam Salomon calluiſſe perhibetur; hanc interpretor nauigationem ad gentes peregrinas; nam vir ſapiens maluit iſta arte aurum quærere, & ſuos ditare, quàm arti fallaciſſimæ fidere. Eandem artem calluerunt & callent Hiſpaniarum reges, (Vtinam minus) ſingulæ enim nauigationes ad Peru, totidem ſunt veræ minimeque fallaces Chyſopœæ.

DE DEMOCRITO.

FVi ſemper in ea opinione, Democritum, qui à vobis auctor Chymiæ perhibetur, nō fuiſſe illum Hippocrati contemporaneum, ſed Arabem quendam Medicum, ex quo Meſueus nonnulla tranſcripſit remedia. Quercetanus tamen ad commendationem Alchymiæ inter antiquiſſimos auctores illū recenſet; ego verò deſipuiſſe illum affirmo, ſi veſtræ philoſophiæ ſtudio ſeſe excæcarit: eſt quidem philoſophia abſtractio mentis, qua animus ad liberius contemplandum ſeſe colligit intra ſe:

corporei ſenſus & obiecta externa ſunt impedimento contemplanti: verùm Alchimia, te auctore, in operatione conſiſtit; operator, antequam perueniat ad perfectionem ſui operis, debet potiſſimum ex colore de gradibus perfectionis iudicare: Itaque aut deſipuit Democritus, ſi ſe Chymiæ ſtudio excæcarit, aut (quod eſt veriſimilius) Philoſophia Democriti non erat Alchimia, ſed phyſicarum cauſarum tacita contemplatio. Si probes factum Democriti, cur non imitaris? Ariſtoteles appellat prudentiam oculum mentis, mentem verò oculum animæ; quartæ ſectæ Chymici cæcutiunt vtriuſque oculi priuatione.

Democritus iſte quiſquis fuerit, longè alius erat à Paracelſo: neque enim Hippocrates inuenit illum in camino Anatomiam vniuerſi, ſed ſub dio in aëre libero topicam Anatomiam exercentem, quam tantopere deſpicit impius iſte pſeudomedicus, cuius diſcipulis faues. ita enim tu de Quercetano Panaceæ pag. 170 notis ne opponas in poſterum eum qui potius vult eſſe Paracelſicus quam Galenicus, Haruetus pleno ore profitetur ſe Paracelſicum.

Democritus poſuit generationis rerum omnium principia à Chymicis longè differentia: ex indiuiduis enim corpuſculis componebat omnia, ad quæ effectuum omnium phyſicorum cauſas referebat: At principia Chymica ſunt diuidua, quandoquidem mixta. Ariſtoteles docet nullum poſſe dari corpus atomum; quia ſit continuum & dimenſum; omne au-

tem continuum infinitè diuiduum. Idem fusius demonstrauit aduersus similem Xenocratis opinionem de lineis insectilibus,

Illius opinionem de mundis innumerabilibus interpretaris de singulis sublunaribus, quæ dum successione perpetuantur, innumerabiles paruos mundos referunt. Nomen parui mundi male quadrat lapidi & metallo, neque si parui mundi sint innumerabiles, idcirco magni.

Mallem ex Cleomene pro Democrito ita respondisses: Extra mundum necessariò ponendum est spatium immensum, quód aut inane esse oportet, aut intermundijs plenum.

Necessariò verò ponendum esse spatium supra firmamentum Archytás apud Simplicium ex eo demonstrat, quod si ex hypothesi assideret aliquis primo mobili, vt Luciani Menalippus Lunæ, velletque vltra brachium extendere, quid obstaret, cùm tenerum sit cœlum, vt vtar verbo Lucretij, nec difficilius cedàt tangenti quam aër? Atqui spatium illud immensum aut oportet esse vacuum (quod est impossibile) aut plures mundos in eo concipere, quid enim aliud possis?

Opinionem Democriti de corpusculis indiuiduis malè accommodas Chymiæ principijs, nequid dicam acerbiùs. Veteres Physici ex vno primo principio eoque Physico fieri omnia existimabant: Heraclitus ex igne, Anaximenes ex aëre, Thales ex aqua, Pherecides ex terra. Idem cum Pherecide sensit Democritus, sed diuersis verbis; nam pro terra, atoma corpuscu-

la repoſuit, hoc ſubnixus argumento: Ex his primùm fiunt omnia, in quæ poſtremò reſoluuntur: Atqui concreta omnia cineroſcunt tandem, abeuntque in pulueres atomis illis ſimiles, quæ in aëre radio ſolis illuſtrato volitant, aut in alia ſi quæ liceat fingere minutiora: reſoluto enim ſenſim vtroque humido, aerio & aqueo, quibus veluti glutine terra continetur, permanent inſectilia iſta corpuſcula, quæ ſi ramenta, ſcobes, arenulas dixeris; non moror, dum res intelligatur. Dic, ſi potes, vbi latent tria Chymica, vel, vt verius dicam, Chimerica principia, quæ ſingula conſtat eſſe mixta? An in humido iam reſoluto, an in terra illa minutiſſima? Sententia illa Democriti, vt dicam liberè, mihi ſemper viſa eſt omnium probabilior & veritati Chriſtianæ magis conſentanea, quia

In terram terra redimus.

Ariſtoteles tamen docet fruſtra quæſitum à veteribus Phyſicis ex quo primo principio fierent omnia; quia fiunt ex contrarijs, contraria autem naturâ ſunt ſimul, quare concurrere elementa omnia ſimul ad generationem mixtorum, nec vnum eſſe prius altero cum Empedocle concludebat.

Hanc Hippocratis & Empedoclis doctrinam pro tua maledicendi conſuetudine appellas Ariſtotelis commentum, quia tuæ doctrinæ non fauet: Docti tamen non vident quid natura mortalis excogitare potuerit diuinius. Qui velut hoſpites peregrinantur, & philoſophiæ

phiæ mel tantùm in ſuperficie libarunt, meritò Libauij nominantur.

Præterea Coryphæus iſte ſapientum contra Democritum docuit non concretione & veluti agglutinatione iſtorum corpuſculorum naſci mixta, ſed mixtione, id eſt, quatuor elementorum vnitis eſſentiis, præcedente primarum qualitatum alteratione, mutua ſcilicet pugna retuſis omnibus & ad mediocritatem adductis. Hinc ſublunaria omnia exceptis elementis docti omnes hodiè appellant mixta, non concreta. Sed cur laboro tantopere in examinando rhetorum, non philoſophorum argumento? Fuerint multi olim chryſopœæ ſtudioſi, at ſtudium inutile tentarunt, cuius finem aſſequi non potuerunt: ſæpè quod fit exemplo male fit. Quid enim eſt per immortalem Deum, quod exemplis & auctoritatibus non poſſim demonſtrare? Eſtne ars tam futilis, quæ non habeat ſuos auctores & fautores? ſimili argumento poſſum probare vitium potius amplectendum quàm virtutem: primò quia plures ſunt vitioſi quàm virtute prædití: ſecundò quia vitium eſt antiquius virtute: natura enim humana procliuior eſt ad libidinem. Iuuenis docebam philoſophiam in ſchola Pleſſæa, vbi degebat Robertus Valenſis, qui, vt tu, farraginem ex indicibus vndique collegit & veluti centonem conſuit, vt auctoritate & exemplo demonſtret Chymiam eſſe artem antiquiſſimam, omnique ſtudio & amore proſequendam. Bonus vir in hoc ſtudio totum vitæ tem-

pus exegit, paternamque omnem hæreditatem inani ſpe decoxit, ex medico mendicus, nil minus quam Crœſi aut Midæ fortunam ſperabat, verũ ad Codri & Iri inopiam redactus eſt: Voluit me tum ad huius artis ſtudium allicere: ſed felix qui ſapit alterius exemplo. Male ſit arti quæ non alit, ſed perdit potius ſuum artificem, præſtaret hoſtiatim ſtipem cogere quàm malis artibus opes corradere

Verum perge. Qui ſunt à te hactenus commemorati ſummi viri, Alchymiam excoluerunt, non medicam, ſed aurificam. non erat illis propoſitum Chymicis remediis ſanitatem ægris reddere, ſed diteſcere. Qui proxime ſequuntur, Albucaſis, Raſis, Meſueus, Auicenna, Villanouanus, Syluius, Fernelius &c, medicatricem Alchymiam approbarunt. Quam? An quartam illam ſectã ab Hippocratica principiis, cauſis, ſignis & remediis differentem? minime gentium. Neque enim ante Paracelſum huius tam peruerſæ doctrinæ aſſertor vllus extitit. Nomina vnum Græcorum, Arabũ, Latinorum Medicorum bonæ notæ, qui nomen huic ſectæ dederit. Nouitatis ſtudium ſummos iſtos viros ad Chymicam remediorũ præparationem allexit, inexplebilis eorum genius videri voluit nihil ignorare. Mirum tamẽ quod ſuis antidotariis vix vnum remedium Chymicè præparatum inſeruerint. Collegæ mei cum Syluio, Fernelio & Hollerio perdiu medicinam exercuerunt, ſed ſanctè iurant nunquam ſe obſeruaſſe ab his præſcriptum vl-

lum remedium chymicum præter aquas ſtillatitias, diſtillata reſtauratiua & olea admouenda, non aſſumenda: verùm præſcripſerint non hi tantùm, ſed quotquot farragine tua includuntur, quid hoc ad decretum ſcholæ? Schola damnat Medicinæ quartam ſectam, cuius primus fuit auctor Paracelſus, defenſor Quercetanus; tuum eſt probare iſtius ſectæ antiquitatem.

Dogmaticorum doctrina his potiſſimùm quatuor capitibus concluditur: Ex calido, frigido, humido, ſicco fieri mixta omnia. Ex iſtarum qualitatum ametria omnes ferè morbos oriri, quia aut ſint intemperies aut cum aliqua partis vel totius intemperie ſimplici vel coniuncta, nuda vel cum materia. Signa remediorum ex ſapore & odore potius deſumenda, quam ex ſignatura Phyſiognomica; ſigna verò morborum tam diagnoſtica, quàm prognoſtica non poſſe ex meliori fonte hauriri, quàm ex Hippocrate & Galeno. Remedia præſertim cathartica ex plantis potius quàm ex mineralibus petenda, eaque morbo & cauſæ morbi cõtraria, non ſimilia eſſe deligenda.

Quartæ ſectæ planè ſunt differentia theoremata: Primum eſt Phyſiologicum, à Quercetano variis libris acriter propugnatum, Ex ſale, ſulphure & mercurio fieri omnia; quò pertinet Anatomiæ localis contẽptus apud Paracelſum. Secundum principium eſt Pathologicum, Immoderatione potius trium principiorum commemoratorum, quàm primarum qualitatum

morbos exoriri. Remediorum vires & proprietates signatura Physiognomica certius quã sapore & odore dignosci. Quartum est Therapeuticum præstare purgatrices essentias mineralium, catharticis quæ à plantis desumuntur: Placetne enumeratione Medicorum omnium primi nominis Græcorum, Arabum & Latinorũ demonstrem probari omnibus dogmaticorum sectam, ideoque hanc quartam improbari? Argumentabor logicè vno verbo: Nullus classicus & alicuius nominis Medicus à principiis Hippocratis commemoratis recessit. Si negas, cedo vnum. Ego proferam omnes à temetipso commemoratos Chymiatricæ doctores, Rasim, Auicennam, Mesueum, Villanouanum, Syluium, Fernelium, Hollerium, qui maluissent mori centies, quàm sectæ tam perniciosæ nomen dare. Itane summi isti viri veluti transfugæ desertis Hippocratis castris ad Paracelsica confugerunt? Absit. Apage ergo istum centonem, quia nihil ad thesim; tuarum est partium quartam sectam medicinæ, quæ sola damnatur à schola Parisiensi, propugnare. Quæcunque præterea inseris de vtilitate præparationis Chymicæ, sunt parerga.

Præcessit interpretatio censuræ, quæ Chrysopœos non attingit; solius magistratus interest damnosas artes ab vtilibus distinguere, neque cum schola sine adiuncto Alchymiam nominat; noua remedia & nouam remediorum præparationem intelligit; quia non existimat ea constituere nouam medẽdi artem, sed dog-

maticam illuſtrare: neque enim, vt dixi, Arabes qui nouis remediis & nouis remediorum formulis, quam à Græcis acceperant artem medendi exornarunt; propterea nouum Medicinæ corpus conſtituerunt, ſed ſua remedia eorumque formulas ad eam Medicinæ partem reuocarunt, cuius eſt de remediis & remediorum formulis tractare.

His ita præmiſſis inſtat vt examen tuum ſubducamus. Antiturqueti pagina 17. quærebant ſi varietas præparationum efficeret nouam artem medendi; quidni reſpondit Haruetus, cùm ſint artificiales? Ego contra: Arabum nouæ præparationes erant artificiales, propterea tamen nouam Medicinam illi non conſtituerũt. Quid reſpondet cenſuræ Pariſienſis examinator? ſumit pro argumento quod eſt in quæſtione: Audiatur: (pag. 8.) *Quod in artem affert formulas quibus illa amplificatur & illuſtratur, neceſſe eſt eſſe artem & ſcientiam: Alchymia eſt huiuſmodi; ergo.*

Eraſne ieiunus, cùm hæc ſcriberes? ſingula remedia & ſingulorum remediorum formulæ totidem ſunt artis ornamenta; an propterea nouas & diſtinctas artes conſtituunt? Ars vnũ & idem remedium in mille formas tranſmutat, dixeriſne medendi tot artes? videris neſcire artes omnes conſtare certo fine & certo ſubiecto, de quo propriæ affectiones demonſtrantur. Didiciſſes hoc ex Analyticis, ſi fuiſſes in Ariſtotelis non Rami ſchola inſtitutus.

Magna olim contentione pugnatum eſt, ſi

Medicina esset ars vna, an ex pluribus artibus constaret, Physiologia, Pathologia & Therapeutica: conclusum tandem esse artem vnam hoc argumento: Ars vna esse dicitur, cuius vnicum subiectum, vnus finis: Atqui Physiologiæ, Pathologiæ & Therapeuticæ est idem subiectum, nempe homo: idem finis, nempe sanitas. Pharmaceutice Therapeutica continetur; proinde vt partes totum, sic vniuersum Medicinæ corpus cum cæteris constituit: tantum abest vt noua remedia & remediorum nouæ formulæ nouas & differentes medendi artes efficiant.

Ad pag. 9.

Pergis tamen errorem errore nouo cumulare. *Chymicorum vt Pharmacopœorum vestrorum præparationes etiam auctore Riolano sunt artificiales, quidni artes?* In opere quidem & operatione ars seu artificis industria elucet; neutrum propterea artem sapienter dixeris, nisi velis eodem iure effectum causam appellare. Quicquid tibi per vrbem obambulanti occurrit, vt domus & quicquid illa continet, mensa, cathedra, fenestra, quicquid vestit corpus, calcei, pileus, vestis, sunt artis opera, quæ quantumuis artificiose fuerint elaborata, non dixeris artes, sed artis specimina: nam ars, si nescis, est virtus mentis, cuius nullum inanimarum potest esse particeps: Ars, inquam, est habitus in mente artificis, non in opere, nisi vt causa in effectu. Ars differt à natura, quod ars sit externum, natura internum principium;

ysga Examenat ... (handwritten marginal note)

Ars est extra, natura intra subiectum. Operatio est artificialis si processerit ab artifice, qui operatus fuerit ex arte, alioquin inartificialis. Cæterum quando quærebam si nouæ præparationes nouam artem medendi constituerent, tum ars non erat habitus efficiendorum, sed methodica dispositio præceptorum ad certum finem tendentium. Cùm lego tam ridicula, deploro tuam vicem, qui in schola Ramæa institutus neglexeris Aristoteleam, id est, veram & solidam philosophiam. Nonne tu es ille Libauius Antigramanicus, qui pagina 484, & pagina 485. scribit *nouis præparationibus nouam artem non emergere, sed eandem illustrari? Artem traditam à veteribus, Chymicis quidem præparationibus exornari, nouam artem non constitui?* Itane contra Gramanum accessio nouorum remediorum & præparationum nouam artem medendi non efficit, sed artis præparatoriæ totidem sunt ornamenta, contra Riolanum, non tantùm sunt artis præparatoriæ ornamenta, sed artes? Male sedet qui duabus sellis insidet. Condonandum rabulæ qui venalem habet linguam, si vna die pro iustitia declamarit, altera contra iustitiam, vt olim Carneades; sed philosophum dedecet propositi inconstantia tam insignis.

Quarta secta nouam artem medendi constituit principiis, causis, signis, remediis ab Hippocratica differentem, non noua remediorum præparatio. Hanc sectam fateris esse falsam, si

principiis falsis innitatur: Atqui te auctore nō tantùm falsis nititur, sed ridiculis, phantasticis, impiis: ergo ne illa quidem Quercetani Alchymia, quam recipis in tuam clientelam, meruit nomen artis. Quod obiicis olea, spiritus & aquas stillaritias Medicinam illustrare, nihil ad propositum: quia si quid est boni in Chymiatrica, id totum ad Pharmaceuticen referendum, etiam te auctore contendimus: cætera quæ de sale, sulphure & mercurio dicuntur, puta quod iis cõstamus & nutrimur, quod ex his morbi oriuntur: falsa sunt omnia. Proinde si vis pugnare pro Alchymia, eamque medendi artem nouam constituere coneris demonstrare: consiste in confirmatione istorum principiorum, doce causas morborū inde potius repetendas, quàm ab excessu vel defectu primarum qualitatum. Doce vires & proprietates remediorum certius cognosci physiognomia, quam sapore & odore: alioquin ludes operam; quia probabis, quod non negamus. Illustrari scilicet Medicinam Hippocraticam quorumdam Chymicorum remediorum accessione, vt aquarum stillatitiarum & quorundam oleorum, sed quæ Arabum imitatione ad Antidotaria referri volumus, suoque loco & ordine collocari.

Quæ Alchymia dicatur diabolica.

Ad paginam 9.

Filius meus comparauit Hermeticam Medicinam cum dogmatica excurrendo per

ſingulas partes Medicinæ, vt demonſtraret dogmaticam eſſe præferendam. Haruetus tuus illi reſpondit; quo toto reſponſo Paracelſi Medicinam dogmaticæ præferendam eſſe contendit. Filius meus adiecit, ſcholæ pariſienſi Libauij quidem Alchymiam non improbari, ſed Paracelſicam, quam exiſtimat eſſe diabolicam: quia ipſemet Paracelſus illam ſe à diabolo didiciſſe gloriatur. Sed Libauium intellexit Antigramanicum, qui Paracelſi principia putida, falſa, ridicula & impia eſſe pronunciauit, non illum Antiriolanicum, qui pro veritate iſtorũ principiorum tanquam pro aris hodie decertat. Libauiũ inquam intellexit eum qui ſcripſit Paracelſi moriones. Qui Paracelſicis, vt Grammano & Amunaldo olim bellum indixit, non triobolarem medicum qui Quercetani & Harueti, diſcipulorum Paracelſi medicinã ab Hippocratica principiis, cauſis, ſignis & remediis differentem ſuſcepit defendendam. Iudicet lector, vter noſtrum ſerpens dici mereatur, an ego qui ſerpentis artes fugiendas ſuadeo: an tu qui faues ſerpenti & eius artibus: Plenus es rixarum, vix eſt vllus vir bonus & doctus, cuius famam canina tua facundia non læſeris. Ita Ramei ſolent eſſe contumelioſi, imitantur ſuum præceptorem, qui claſſicos auctores, Quintilianum, Ciceronem, Euclidem, & in primis Ariſtotelem inſectatus eſt. Lubens in iſtam ſocietatem includor; quia mihi laudi duco à te & tui ſimilibus pro defenſione tam iuſtæ cauſæ vituperari. Schola Pariſienſis iam à quadra-

ginta plus minus annis damnauit vſum Antimonii & Præcipitati. In hoc conſeſſu aderant Syluius, Fernelius, Hollerius, quos inter Chymicos primæ notæ recenſes. Aderant celeberrimi Medici Gorræus, Petræus, Duretus, Plācius, qui ſcripto publico ſuam de fugiendo ſtybio opinionem hoc potiſſimùm Meſuei canone confirmarunt: quod mallent vti benignis & naturæ familiaribus remediis, quā malignis illis & venenatis, quæ à natura noſtra abſunt longiſſimè. Experimentis quotidianis docuerunt, ſi ſeruatus fuerit vnus antimonio, decem perijſſe: quorum omnium experimenta Rulandi tui obſeruationibus auſim opponere. Cur non quæris pari iure, cur tot Medicinæ lumina veluti ſerpentes & carcinomata ſchola Pariſienſis aluerit? Si veram & ſolidam philoſophiam primoribus labiis delibaſſes, non ita pudoris & modeſtiæ fines excederes: niſi temperes tuo furori, inuitus deponam modeſtiam in ſinum iracundiæ, tuaſque ineptias ſeuere caſtigabo.

An ars quæ multa mala, pauca bona continet, ſit reijcienda.

Ad pag. 11.

IMo vero ars quæ pauca mala continet, plura bona, ſpernenda eſt, ſi modo illa mala ſint magni momenti: In artibus enim idem contingit quod in Magicis myſteriis, qui cadit

à ſyllaba; cadit cauſa. Athenienſes omnia Protagoræ ſcripta quamuis doctrinæ & eruditionis plena damnarunt tamen, quod illis hanc clauſulam inſeruiſſet; De Dijs vtrum ſint non auſim affirmare. Schola damnare potuit vniuerſam Paracelſi Medicinam, hac tantùm ratione, quòd illam à diabolo profectam fateatur. Non dubito quin Eccleſia Romana eius ſcripta hoc nomine indigna luce iudicarit: Ars falſa iudicatur, ſi falſis nitatur principiis, quemadmodum ædificium ruinoſum quod ſuper caduco fundamento ſtruitur. Epicurus deſcribat philoſophiam moralem, eiuſque primum principium ponat, non virtutem, quia ſit laborioſa: ſed voluptatem, quia ſit naturæ noſtræ magis grata & amica. Ratione huius principij tota ars reiicienda eſt; quia ex hòc falſo principio non poſſunt ſequi concluſiones veræ. Ariſtoteles, Parmenidis & Meliſſi phyſicam reprehendit: quia ex vno conſtituerent omnia, etiamſi multorum opinione per vnum non materiam, ſed Deum intelligerent: quia rerum phyſicarum principia ſyngenea, id eſt, phyſica eſſe debent: Deus autem eſt metaphyſicum, nec tantum naturalium, ſed etiam ſupra naturalium, denique omnium commune principium. ars ō ars.

Atqui Medicina Paracelſi non conſtat vnico falſo principio, ſed innumeris: Vt magica remedia præſtare naturalibus, Anatomem localē eſſe meram lanienam: Denique auctore Libauio homicidiū, eſt ſcelus proprium Paracelſitarū.

Lege illius moriones, intelliges illum esse similem Delphico gladio, scindere vtrinque, nunc esse harum, nunc illarum partium, peregrinari semper & vagũ oberrare, nullo in portu quiescere.

Ad paginam 12.

Vt cõfirmes essentiæ mineralis vsum in medendo, vrges nos obseruationibus Rulandi, qui affirmat se vidisse multos vsu antimonijà magnis morbis liberatos. Non est fidendum testibus, qui alicui sectæ nomen dederunt; quia mallent se perdere, quàm de suæ sectæ Paradoxis aliquid remittere. Vestros errores terra tegit, benefacta sol aspicit. Si seruetur vnus antimonio aut præcipitato, decem pereunt. Qui manet superstes, antimonium vt Dei manum auxiliarem palam prædicat, quem fortassis naturæ bonitas ab istius veneni cacoëthiá præseruauit. Defuncti conqueri non possunt, si reuiuiscerent, Dij boni quantas turbas! audires pro vno laudatore decem vituperatores. Obseruationibus Rulandi oppono Libauij Antigramanici firmissimum argumentum: Vis cathartici (inquit) manet ignaua, nisi à nostro calore promoueatur ad actum, vis illius purgatrix regi debet à natura: Atqui essentiarum mineralium vis purgatrix non potius regi potest à natura, quàm venenorum: accedunt propius ad naturam venenorum, quàm medicamentorum. Itaque consultore Libauio fuge essentias minerales, quarum vsus est admodum periculosus: abbreuiant vitam, inquit

Crato, etiamsi ad tempus prodesse videantur.

Vt stat & incertus quà sit sibi nescit eundum,
Cùm videt ex omni parte viator iter.

Ita cùm studiosi Medicinæ videbunt se obseruationibus Rulandi ad vsum extractorum mineralium à Libauio Paracelsico inuitari: Cum ratione verò tam certa & manifesta ab eodem Antigramanico dissuaderi, hærebunt, vt canis venaticus in biuio, nescientes quam in partem potius debeant inclinare. Verum me iudice, qui sapit, deliget iter tutius: fugiet viã plenam periculi: neque facile suam vitam credet versipelli consultori.

Vt demonstrarem nostras præparationes præstare Chymicis, nosque naturam in remediis conseruare, quam illi corrumpunt: ita ratiocinabar: Infusione & decoctione crasim retinemus, cum crasi formam, cum vtroque vires & proprietates naturales tam manifestas quàm occultas: Chymici verò vt essentias extrahant, dum materiam corrumpunt, necessario violant temperiem, cum temperie formã, cum vtroque naturales facultates: forma enim physica materiæ inseparabiliter cohæret, non minus quàm accidens inseparabile suo subiecto. Non potest operari sine materia certo modo temperata & conformata: ergo sublatis istis instrumentis, sine quibus operari non potest, quid reliquum est, quàm vt actionibus naturalibus priuetur, acquirat exoticas, violentas & à natura priore longè differentes? Ex tem-

peratis fiunt intemperatæ, calorem ſuum naturalem & moderatum permutant immoderato, qui febrili ſimilior eſt quàm natiuo, corruptori quàm ſeruatori. Ab his principiis quæ procedunt actiones poſſuntne non eſſe violentæ? At, inquam, iſta omnia infuſione & decoctione integra conſeruamus, & qualia dedit natura in infuſis & decoctis retinemus. Declarabam hoc familiari exemplo. Rhabarbarum eſt calidum ſiccum ad ſecundum gradum. ecce temperamentum. Habet præterea vim purgandi bilem cum delectu: ecce proprietas occulta. Infundatur in aliquo proprio liquore, permanebit in infuſo calor eiuſdem gradus: experientia autem quotidiana demonſtrat permanere quoque vim bilis purgatricem. Conſtat itaque à noſtris Pharmacopœis, non tantum manifeſtas, ſed etiam occultas vires & qualitates medicamentorum, quales natura dederat, conſeruari. Idem dixeris de Sennæ, Agarici aut ellebori decocto: in eo enim cum temperamento conſeruatur ſpecificum. Poſſitiſne vos de eſſentiis præſertim mineralibus idem polliceri? Eſſentia rhabarbari tam laborioſe extracta ex materialium ingenti copia, poteſtne amiſſa craſi & forma retinere actionem naturæ congruentem? In illius extracto minor eſt vis purgandi quàm in infuſo: quia ad infuſionem duplex coctio accedit, quibus non poteſt de vi purgatrice aliquid non deperire: Quoniam illa in ſpiritu ſeu tenuiſſi-

ma portione consistit. Accedat quod in extracto maior copia, minus purgat, quàm minor in infuso: In infuso vna dragma plus purgabit, quàm duæ in extracto.

Superest vt obiectionibus tuis paucis satisfaciam: Quercetanus primùm, deinde Haruetus idem plane obiecerunt, cur repetis? feres idem responsum. Si Chymici, aiebant, extractione quintæ essentiæ corrumpant mixta, dogmatici quoque alimentorum & medicamentorum præparatione eadem corrumpunt: quandoquidem illa suo corpore, suoque crassamento, vt nos, spoliant. Respondebam illis, quod tibi nunc repono, longè disparem esse rationem: Quia præparatione alimentorum & catharticorum nostrorum non tollitur temperies homogenei, conseruantur illius vires & qualitates naturales. Pistor panem conficit ex hordeo refrigerantem, ex tritico modicè calefacientem, nostri coqui abiectis partibus edendo ineptis, reliquum assant aut elixant igne moderato, quæ vos torretis, vritis, corrumpitis igne immoderato. Nostri Pharmacopœi in medicamentorum artificiali præparatione imitantur bonos coquos, infundunt & coquunt igne moderato: vos imitamini malos coquos, qui non assant carnes, sed torrent, vrunt, corrumpunt. Quomodo igitur potest esse vestra præparatio pro vsu & necessitate medendi melior ordinaria? Sit calfaciendum aut refrigerandum leuiter, vehementer, mediocriter,

natura suggeret mihi infinita, quorum alia primo, alia secundo, tertio gradu calfaciant vel refrigerent: possum ex ista copia, quæ placet, seligere, decocto temperiem qualem dedit natura melius quàm vos distillatione conseruare: propterea aquis stillatitiis rarò vtimur, quādo herbæ suppetunt, reseruantur in hyemem, cum herbarum penuria laboramus. Sit purgandus humor morbificus, pituita scilicet aut alterutra bilis, natura suggeret mihi Cholag$_{\omega}$ga, phlegmag$_{\omega}$ga, melanag$_{\omega}$ga, blanda, mediocria, vehementia, quæ vel blandè vel potenter purgent humorem noxium de prima, secunda, tertia regione corporis. De mineralibus extractis possisne idem polliceri?

An ortus essentiæ Chymicæ sit ortus simplex, an ortus secundum quid?

ARistoteles definit ortum simplicem, mutationem non entis in ens: entis quidē, sed potentia tantum in ens actu: ortum verò secundum quid, mutationem entis in non ens: entis videlicet nobilis in ignobilius, congenitæ & substantialis formæ in aduentitiam, naturalis in artificialem. Atqui ortus essentiæ Chymicæ est mutatio formæ nobilis in ignobiliorem, essentialis in accidentariam, naturalis in artificialem: ergo est ortus secundum quid, interitus simplex. Demonstro assumptionem: Nulla arte potest effici opus melius naturali. pertritum est apud Aristotelem: factum est à natura: ergo

ergo non potuit melius. Poteſt quidem ars opera naturæ reddere pulchriora, poteſt naturam adiuuare, vt luxatum membrum reponere: Medicus enim eſt naturæ miniſter, non poteſt vllum opus efficere, quod æquare poſſit opificium naturæ. In vna muſca viuēte plus ineſt ingenii & induſtrię quàm in omnibus artis operibus. Zeuſis vuas tanta arte pinxerat, vt aues ad eas conuolarent, nil tamen ad veras & naturales vuas: quarum duntaxat erant imagines. Archytas tanta arte columbam effinxerat, vt volaret: quid ad naturalem? Sculptor equam tam benè imitetur, vt equos fallat, illamque inſiliant, nihil tamen ad equam naturalem, Quia non poteſt dare internum principium motus. Atqui perquiſitione eſſentiarum eripitis cum materia mixtis natiuam temperiem, cum temperie formā, cum vtroque principio facultates & proprietates inde conſequentes. In locum naturalis, corruptæ, illa quam introducitis, non poteſt eſſe naturalis: neque enim vos eſtis datores naturalium formarum, vt Auicennæ Colchodea: Intemperiem potius inducitis, accidentariam formam, vires & actiones violentas, quales intēperiem ſolent comitari. Ergo ortus eſſentiarum Chymicarum eſt ortus ſecundum quid, interitus ſimplex: priuatio nobilioris formæ ignobilioris introductio. Oleum quod prælo elicimus ex oleoſis, quale natura dedit educimus, ſeruata craſi & forma naturali: At Chymicum quod ex temperatis, vt nuce muſcata,

cariophyllis, cynamomo elicitur igne vehe-
menti, longè aliud eſt ab illo naturali ſucco,
alterius temperamenti, alterius formæ, alte-
rius facultatis. Cum ſuppetat copia calfacien-
tium aut refrigerantium leuiter, potenter aut
mediocriter, cur corrumpam temperata, vt
ſublata naturali mediocritate induеam quali-
tatem violentam?

An Chryſopœa & Chymiatrice poßint cogi in idem artis corpus.

ARs & artifex quantum poſſunt, ſeſe com-
ponunt ad imitationem naturæ: natura
autem res ſuas conſtituit materiæ & formæ
coniunctione: Itaque artes omnes totidem
conſtant primis & præcipuis partibus, ſubie-
cto, quod eſt analogum materiæ, & fine, qui
proportione reſpondet formæ. Vt ergo vnius
rei vnica eſt forma & perfectio ſumma: ita
eiuſdem artis & artificis vnus finis. Diuerſa
quidem ſunt artium & artificum officia:
quia tamen ad eundem finem deſtinantur,
à Latinis deſtinata & fines intermedii nomi-
nantur. Deſtinata; quia deſtinantur me-
liori: fines medii: quia his veluti mediis ad
vltimum peruenitur. Per multos gradus for-
marum itur ad hominis perfectionem, vege-
tando primùm, deinde ſentiendo: quæ ta-
men ad vltimam referuntur; qua introducta
deponunt nomen formæ. manetque hoc apud

physicos indubitatum: Vnius rei vnicam esse formam. Vnius ergo artis vnus finis. Equidem Chymiatrice vtitur auri tinctura, nos quoque vtimur auro puluerato aut foliato: verùm ad sanitatem seruandam vel restituendam, non propterea dixeris nos Chrysopœos. Interroga illos si destinent suos labores medicationi; si ars promittat suis pro fine benè medendi scientiam. Maius quiddam se cogitare respondebunt. Cùm ergo manifestè instituto & fine differant Chrysopoeus & Chymiatros, eadem arte concludi non possunt; Vt rerum maxime propriæ & essentiales differentiæ sumuntur à forma; sic artium à fine. Non potuisses certiùs Chymiatricæ vanitatem demonstrare: nam si vna & eadem arte includantur, qui docuerit chrysopoei studium esse inane, Chymiatricæ quoque studium inane esse demonstrarit. Ars ex parte falsa ex toto falsa iudicari potest: Quia est vnum ingens corpus ex partibus syngeneîs conflatum: sic sunt concatenatæ conclusiones omnes, vt vna pendeat ex altera: omnes ex primis quibusdam principiis, ex quorum falsitate artis totius falsitas arguitur. Cæterùm valdè temerè affirmas in Pharmacopoeorum nostrorum officinis nullum reperiri posse remedium, quod æquare possit tincturam auri: vidimus exhibitam minori profectu quàm confectionem Alchermes aut de Hyacintho. Turetus ille quondam præses non tantùm tempus, quo nil carius, sed bo-

na quoque omnia in chryſopœa perdide-rat: redactus ad inopiam obtulit Henrico tertio lagenam auri tinctura plenam, cuius vſu futurum promittebat, vt Rex Chriſtianiſſimus Neſtoreos annos viueret, ſcripto publico, quod extat, affirmat primos parentes ante diluuium in tam longum tempus Alchymiæ beneficio vitam produxiſſe. Rex videns hominē vix natum annos quadraginta quinque iam canum, & ardore camini, ne dicam inedia, exuccum: Serua hoc tibi, inquit, vix attigerat annum quinquageſimum, cùm è viuis exceſſit. Hoc eſt in illo vt in cæteris Chymicis admirabile, quod quanquam bonas horas tam malè locarint, bonaque ſua tam ſtultè profuderint, omnes tamen ad huius artis ſtudium pollicitationibus alliciunt. Solatium eſt miſerorum multos habere pares. vellent omnes in eandem calamitatis foueam ſecum attrahere, & quam fecerūt bonorum iacturam ſimili arte ab aliis repoſcere.

An Chryſopœa ſit poßibilis.

Ad pag. 15. 16.

ARiſtoteles permittit aliquando poni falſum gratia doctrinæ facilioris: geometra enim iure poſtulat ſibi dari hanc lineam centipedalem, quæ vix eſt pedalis. Non permittit vnquam poni impoſſibile: Atqui Chryſopœa eſt impoſſibilis. Doceo quatuor argumentis. Primo: Non poteſt natura, multo minus ars

opus vllum efficere ſine proximo & ſynonymo efficiente: Sol non efficit hominem ſine homine, nec bouem ſine boue: Atqui auri proximum efficiens eſt vis aurifica huic, non illi terræ inſita: quam ars conferre non poſſit. Ergo auri confectio ſeu tranſmutatio cæterorum metallorum in aurum eſt impoſſibilis. Secundo: Procreare ſimile eſt proprium animatorum, quandoquidem procreandi facultas eſt præcipua facultas animæ: Atqui aurum etiam philoſophicum eſt inanimatum: neque enim ars poteſt ex inanimato efficere animatũ: hoc vnius Dei proprium eſt. Ergo ſpiritus auri non poteſt aurum procreare.

Tertio: Verum aurum debet habere naturam, ſeu temperiem & formam naturalis auri, vires quoque & proprietates vtriuſque principii conſequentes: Atqui peritiores Chryſopœi dare poſſunt aliis metallis, vt hydrargyro qualitates accidentarias veri & naturalis auri, colorem, duritiem, pondus, &c. Eſſentiales verò nempe craſim, formam & proprietates, minimè: Quia temperies pendet ex certo modo mixtionis, qui auctore Galeno ſoli Deo & miſcenti naturæ cognitus eſt. Eſtne veriſimile vnum granum auri philoſophici argenti-viui ſex vncias in aurum trãſmutare poſſe, quod poſsideat veri & naturalis auri craſim, formam & proprietates? Nemo mihi perſuaſerit, inquit Libauius Antigramaniæ pag. 511. *Transformatum idem eſſe cum naturali.* eſt idem accidẽte, non eſſentia. Ariſtoteles depingit Sophi-

ſtam, eum qui fallit vt plurimum accidente; Sophiſtæ rerum ita qualitates accidentarias in ſubiecto exprimunt, vt incautos fallant: pauci enim ſunt, qui eſſentias ab accidētibus poſſint diſcernere. Humanæ ſapientiæ non vltima laus eſt, cito non credere.

Quarto: Etiamſi demus arte fieri poſſe aurum purum, putum; tamen ex centum mille milibus, qui in hoc ſtudium incubuerunt vix duo aut tres à te memorantur, qui opus abſoluerint, quos exiſtimo fefelliſſe accidente: cæteri operam & carbonem perdiderunt. Ergo eſt ars damnoſa; ideoque vt alea fugienda. Petrus Bonus qui de margarita pretioſa creditur accuratiſſimè ſcripſiſſe ab annis ducentis ſeptuaginta, ingenuè fatetur ſe opus nunquam perficere potuiſſe: nec mirum cum illo auctore Chryſopoea ſit ſcientia infuſa pauciſſimis, quos æquus amauit Iupiter, ſingulari priuilegio conceſſa. *Si infundatur, non acquiratur, cur docetur?*

Vt duo ſunt doctrinæ & doctoris prima lumina, perſpicuitas & breuitas: ita duo ſumma vitia, prolixitas & obſcuritas. Propterea Ariſtoteles paſſim reprehendit veteres, qui ænigmatis philoſophiam inuoluebant, malebant vti metaphoricis quàm propriis & ſignificantibus verbis. Si quis, inquit, in docendo, vt definiēdo, vtatur vocabulo obſcuro ut metaphorico, hoc ſolo definitio refellatur: quia debet eſſe perſpicua & breuis. Atqui tota Chymia eſt αἰνιγματώδης, ſua præcepta vt olim dæmon

ſua oracula, amphibologia obſcurat. Cur ita, niſi vt falſitas tegatur? faciunt intelligendo vt nihil intelligatur.

Parergωs laboro in probanda Chryſopoeæ ἀδυναμία; cum ad Chymiatricen tota hæc diſputatio referatur, ad quam aggredior, ſi prius aliquot, Libauimanici deliria diſcuſſero.

Totum, perfectum & finitum ita ſe conſequuntur, vt totum neceſſe ſit eſſe perfectum, id eſt, ſuis numeris & partibus omnibus abſolutum: tale autem eſt, inquit Ariſtoteles quarto Metaphyſicæ, capite decimoſexto, in quo τὸ τέλος ineſt, quod finitum eſt, ex eo enim quod finem habet, τέλειον, id eſt, perfectum vnumquodque nominatur. Exempli gratia, plumbum eſt totũ, proinde perfectum: ſi perfectum, finitum. Cur forma corporis phyſici, ἐντελέχεια, dicitur? quia re perfecta natura τέλος ἔχει, opus ad finem perduxit: figulus detornet poculum, eo momento quo finem imponet operi, poculum vt finitum, ita totum & perfectum, non antea, verè dixeris. Sublimis iſta doctrina eſt verè Metaphyſica; tamen quia tu βαναυσικὰς artes potius quam philoſophicas didiciſti. *Garrit cenſor*, inquis, *de toto, perfecto, & finito tam aniliter, vt iures conſpiraſſe omnes quiſquilias ſcholæ Pariſienſis quæ ſub ſcamnis ſtudioſorum pedibus calcantur.* Ex hoc vngue leonem. Ariſtoteles ſcribit ad ſolum Metaphyſicum examen principiorum cuiuſque ſcientiæ pertinere; tu, Metaphyſicæ planè ignarus quo iure examinatoris titulo inſoleſces?

Eiuſdem eſt farinæ quod proximè ſubiungis: *Finis eſt cuius gratia ſunt çætera, vt alia creaturæ propter hominem, homo propter Deum, aurum propter vſus humanos.* Ab Ariſtotele in libris animæ duplex finis conſtituitur τέλος ᾧ, & τέλος οὗ, finis cui, & finis cuius. Sanitas eſt finis Medicinæ, cuius gratia traduntur omnia de medendo præcepta: homo eſt finis (cui,) in cuius gratiam ſcribuntur. Homo eſt finis (cui) ſublunarium omnium. Quia ab opifice omnia illi deſtinantur: Deus verò eſt finis cuius gratia homo ipſe creatus eſt: domus eſt finis cuius cauſa architectus ædificat, paterfamilias cui ædificat: naupegus nauē conſtruit, ecce finis cuius cauſa operatur, cui? nautæ. Diſce loqui propriè & philoſophicè. Philoſopharis & ignoras primas finis differētias, quæ eſt apud Ariſt. prima & potiſsima cauſarū: quia omnes efficiētes, Mens, Natura & Ars aliquo fine efficiunt.

Tota ferè pag. 18. nugaris. Quæritur, ſi aurum ſit finis cæterorum metallorum, hoc eſt, cùm natura facit plumbum, ſi intendat aurū: nam ſi hoc ſit, haud dubiè plumbum erit ens incompletum, quemadmodum ouum reſpectu pulli cui deſtinatur, chylus ratione ſanguinis, ſanguis reſpectu carnis, ad quam veluti ad finem refertur. Habebit formam incompletam non aliter quàm fœtus, cum primùm vixit vita plantæ, deinde animalis. Anima vegetans eſt quidem finis & perfectio plantæ, non eſt finis & perfectio animalis cùm vegetat antequam ſentiat. In planta eſt forma completa,

in animali incompleta, sic homo cùm primùm incipit viuere vita plantę, habet animam vegetantem pro forma incompleta, cum primùm incipit sentire, animam quoque sentientem habet pro forma incompleta; quia meliori, nempe rationali destinantur; qua introducta completum opus dicitur. Natura non consistit in chylo, neque in sanguine, sed continenter pergit, donec ex illis carnem generarit, in qua veluti adepto fine conquiescit. Plumbum & argentum sunt analoga carni, non chylo, nō sanguini aut ouo, sed pullo; quia singula sunt entia perfecta, quibus formatis finitur naturæ motus, in eoq; termino, veluti adepto fine, cessat generatio. Cùm non posses istis difficultatibus te explicare, velut sepia aquam turbat suo atramento, ne capiatur; ita tu veritatem per se claram & perspicuam ambagibus obscuras.

Ad finem pag. 18, & ad pag. 19.

Subiungebam aliud argumentum: Si cætera metalla fiant auri gratia, sitque finis & perfectio cæterorum, posito possibili, vt loquuntur philosophi, nihil absurdi sequetur. Ponamus ergo omnia in aurum mutata, mundus erit immundus, non erit totus, non erit perfectus: quia aliquot partibus mutilatus; si modo species sint primæ & præcipuæ illius partes. Explicemus hoc paulo diffusius, quia res est magni momenti.

Res dicuntur perfectæ duobus modis: absolutè aut comparatè. Sub luna præter hominem nihil est vndique perfectum: cætera ad il-

lum relata ſunt imperfecta; omnia tamen in ſuo genere perfecta, quia definitam habent formam, & corpus illius actionibus obeundis congruenter temperatum atque conformatũ: propterea conquieſcunt ſingula in ſua forma, neque ad nobiliorem aſpirant, fruſtra planta deſideraret in animal tranſmutari, quia non haberet inſtrumenta ſuis naturalibus actionibus obeundis idonea, temperiem & cõformationem conuenientem; propterea neque forma plantæ poteſt regere corpus belluæ, nec forma belluæ corpus plantæ. Itaque Natura quæ nil facit fruſtra, ſed ad certos & definitos vſus omnia: plumbi & ferri materiam certo modo temperat, qui congruat fini cui deſtinantur: non enim ex quolibet quodlibet, ſed ex determinato determinatum: vt non fit Mercurius ex quolibet ligno: ita neque plumbum ex qualibet, ſed ex materia certo modo diſpoſita ad excipiẽdam formam non auri vel argenti, ſed plumbi. Vis plumbifica huic aut illi terræ à natura inſita non alium ſpectat finẽ quam plumbum, in quo genito conquieſcit: quia τέλος ἔχει, habet finem ad quem contendebat Ferrum habet ſuum vſum vitæ humanę non minus vtilem quam aurum, plumbum quoque habet ſuum vſum etiam in medendo, fortaſſis qui non cedet auro, præſertim in externis affectibus, ergo ſi ex hypotheſi cætera metalla tranſmutata eſſent in aurum: non tantùm mundus eſſet imperfectus: quia aliquot partibus ad perfectionẽ totius neceſſariis pri-

Speratur

uatus, verum etiam homo, cui destinantur omnia, priuaretur naturæ operibus ad vsum vitæ non minus necessariis quàm aurum.

Quid obiicis examinator ineptissime? *In ignem feruntur omnia, velut in finem, transmutantur inuicem elementa, tamen non desinunt species.* Quid hîc primùm reprehendam? omnia enim aut sunt falsa, aut inepta. Primò tota ista Libauimania contendis pro tuo cliente aduersus Aristotelem nullum esse ignis elementum, phantasticum esse Aristotelis commentum. Poteſtne imaginarium elementum esse finis & perfectio cæterorum? Ponamus existere: cur aliorum potius finis quam terra, alterum sublunaris mundi extremum, in quod recidunt omnia? Vltro citroque transmutantur quatuor elementa: nec minus extinctus ignis aërescit, quàm rarefactus aër ignescit. Humorum quidem est recta generatio, non reciproca: nam ex pituita fit sanguis, ex sanguine bilis flaua, ex flaua atra: sed non retromeat generatio, vt in elementis: Hanc reciprocationem Aristoteles putat ideam quandam referre motus in orbem, vtriusque causa mixtorum generationem perpetuari: quia vicissitudo illa perpetuo nouam materiam suggerit: cùm interitus vnius sit alterius ortus: Motus autem in orbem sit efficiens continuum & indefinens. Metallorum transmutatio neque est recta, vt humorum, multo minus reciproca vt elemẽtorum. Dissimilitudinis ratio hæc est: quod elementa respectu mistorum

ſint entia incompleta, habent formas incompletas, quæ complentur in miſtis, quibus deſtinantur nō aliter quàm ouum pullo aut chylus ſanguini. Metallorum verò formæ ſunt cōpletæ, neque à natura auro vt fini deſtinantur. Huc pertinet Metaphyſica illa quæſtio à nobis in opere de abditis rerum cauſis diſputata: Si perfectorum entium metamorphoſis ſit poſſibilis: ſi magi vi verborum, ſi dæmones ipſi poſſint Apuleium in aſinum permutare, Io in vacam, Hecubam in carnem, An ſit imaginationis figmentum, vt de lycanthropis affirmant Medici, An præſtigiatores ſpectantium oculos ita faſcinant, vt videantur eſſe quæ nec ſunt, nec eſſe poſſunt. Animalcula quædam imperfecta natura transformat, vt erucam in papilionem, non aliter quàm ouum in pullum: ſed perfecta, cuiuſmodi ſunt metalla, numquam crediderim arte tranſmutari poſſe: niſi forte accidentibus, quorum cauſa imperitæ turbæ videntur eſſe naturalia. *Delirat Cenſor, cùm ſcribit chylum eſſe ſubſtantiam incompletam*, &c. Nunquam-ne depones manum de iſta tabula? Vt totum dicitur perfectum, quando finitum, ſic imperfectum quamdiu indefinitum: tamdiu autem manet indefinitum, quamdiu contendit ad meliorem finem, habetque formam, vt loquuntur ſcholæ, incompletam: Atqui chylus & ſanguis deſtinantur fini meliori, nempe nutritioni, eoque vna & continua motione feruntur: tandemque formam ſuam permutant formæ viuentis, & cum eo fiunt vnum. ergo

ſunt entia incompleta, qualia qui dixerit metalla, toto cœlo aberrabit.

An ſit quinta quædam eſſentia ab elementaribus quatuor diſtincta?

Ad pag. 20.

NAtura, inquit Ariſtoteles, proximè coniunxit mundum ſublunarem cœleſti, vt faciliùs ab illo regeretur: regitur autem illius opinione, motu & lumine, non influxu: quia concurrit cœlum ad generationem & conſeruationem mixtorum, vt cauſa vniuerſalis tantum, non vt particularis. Vehiculo luminis deſcendit calor cœleſtis, cui ineſt vitæ principium: ignis enim elementaris vrit potius & corrumpit, quàm generet: quia calorem opificem oportet eſſe benignum & moderatum: ignis autem calor eſt immodicus & intemperatus. Deſcendit ergo qualitas non eſſentia, accidens non ſubſtantia. Quæritur in quo ſubiecto primùm ſubſiſtat vitalis iſte calor, In humido pingui, an in ſpiritu: vtrumque enim afficit, vtrum prius & potius? In ſpiritu dices: Cur ergo vtrique naturâ ſupponit humidum aërcũ, vt eſſet vita permanentior: ſpiritus enim eſt fugax & euanida ſubſtantia. Atqui ſubſtantia ſpiritalis, ſiue dicatur ignea, ſiue aërea, ſiue vtriuſque coniunctione conſtituta, eſt elementaris. ergo qui à vobis extrahitur ſpiritus erit elementaris: neque calor qui illi ineſt, dici poteſt cœleſtis aut cœleſti analogus: quia immo-

deratus: calor enim naturalis debet esse moderatus, cum primùm exuperat, fit igneus, febrili similior quàm natiuo, elementari quàm cœlesti. Si essentia auri quæ veluti essentiarum omnium idea proponitur, habet calorem tam vrentem, vt Medici melioris notæ scripto publico affirmarint illius vsu frequenti elephantiasim induci, sanguine & iecore exustis, de cæteris quid sperandum? Ridiculè igitur scribis vitam in actiuiore subiecto esse oportere quàm sint elementa; quia si calor naturalis esset actuosior, corrumperet, non generaret. Calor igneus vrit, quia siccus, siccitas autem est lima caloris; At calor humidus generat, genitaque conseruat: quia humor aëreus illum contemperat. Propterea demittitur è cœlo aëre intermedio, eoque veluti proprio & accommodato subiecto excipitur, & aliquamdiu conseruatur. Quàm tu es hîc dissimilis ab illo Libauio Antigramanico, qui scripsit pag. 634. *Nihil sunt aliud humani spiritus, quàm aër quidam subtilissimus.* Quando te in aliquo portu quiescentem videbimus?

Conueniet nulli qui secum dissidet ipse.

Ad pag. 21.

Constant mixta omnia duobus principijs materia & forma, &c. Quæritur si essentiæ Chymicæ ad materiam, an potius ad formam sint referendæ? Haruetus, quia forma est principium actiuum, materia passiuum, cuius causa mixta patiuntur tantùm, non agunt (nam si ignis esset immaterialis, inquit summus Ma-

giſter, nunquam pateretur) eſſentiæ autem ſint corpora efficaciſſima, mauult ad formam pertinere. Stoici auctore Galeno ſpiritum non tantùm naturæ, ſed etiam animæ ſubſtantiam eſſe aſſerebant, hac tantùm diſtinctione: quòd ſpiritus humidior eſſet eſſentia naturæ, ſiccior animæ: quo modo probabilius reſpondiſſes, vos formam, hoc eſt, ſpiritum, vt primum agendi principium de mixtis extrahere. Verùm quia eſſentiæ veſtræ ſunt corpora mixta, & quatuor elementorum mixtione euidentius conſtant, quam meteora ignea, aërea & aquea: doctius nobiſcum ſentis ad materiam potius referri debere: quia reuera veſtri ſpiritus, præſertim minerales nihil ſunt aliud, quam materiæ portio tenuior ardore adhuc tenuata: quæ idcirco refert naturam ſui parentis, nempè Vulcani. Verùm ſi eſſentiæ minerales ſint ſubſtantiæ maximæ actiuitatis, poſſuntne eſſe materiales? Grauitas & leuitas ſunt διαφοραὶ καθ' ὕλην, materiales, inefficaces: Calor verò & frigus διαφοραὶ κατ' εἶδος, formales, actuoſæ: veſtræ eſſentiæ veris ſimiliores? Incendiario Vulcano, non calori Promethei, benigno ſcilicet temperato, ſeruatori.

non dante mensuras

Contra negantem principia non eſt diſputandum; Axioma eſt phyſicum: A cœlo ex quatuor elemẽtis fieri mixta omnia. Tu negas coelum neceſſariò concurrere, quod ſi aliquid cõtribuat, eſſentiam non ſolam vim aut efficacem qualitatem contribuere. Vtrumque falſum &

omnibus phyficæ principijs repugnans. Deinde negas ex quatuor elementis femper fieri mixta: quia fieri poffunt ex feminario fine cõcurfu quatuor elementorum: hoc quoque tã falfum vt nihil magis falfum. Doceo vtrũque! Imprimis cœlũ concurrere tu ipfe ex Ariftotele demonftrabas, quia natura de induftria immediatè coniunxit elementarem mundum cœlefti, vt ab illo facilius regeretur. Contribuere verò non effentiam, fed qualitatem tu ipfe eodem auctore demonftrabas: Ignis elementaris, non generat, inquit ille, fed calor folis, cui principium ineft vitale. Itaque reliquum eft vt demonftrem qualitatem tantùm non effentiã cœlitùs deriuari ad generationem mixtorum.

Prima ratio eft: Nihil eft æternum fub cœlo, fi mentem excipias. Atqui fubftantia cœleftis eft impatibilis & immortalis. ergo in elementari mundo nulla fubftantia cœleftis.

Secundò: Sola mifcentur quæ funt fymblita, Atqui cœlum eft afymblitum, incomparabile, & improportionatum elementis. Ariftoteles appellat fymblita quæ communi materia participant. Atqui cœlo & elementis longè diuerfa fubeft materia: cœlo, loco tantùm mobilis; elementis, tranfmutabilis.

Tertio: Grauitas & Leuitas funt caufæ cur alia deorfum alia furfum moueantur: Atqui cœlum neque graue neque leue: ergo neque præcipitatur pondere ad generationem mixti, neque afcendit materiæ leuitate, vt reuniatur toti, diffoluto mixto. Quarto authore Ariftot. in ani-

In animalium ſtercoribus remanet caloris vitalis veſtigium, cuius vi emergunt infinita animalcula imperfecta vt Scarabei & Crabrones, ne otietur calor opifex producit, viuens imperfectum, facit quod poteſt non quod vult, ſed præſtat hoc, quàm feriari; Atqui non eſt veriſimile in ſterquilinio permanere poſt mortem ſubſtantiam coeleſtem. Imo non remanet viuificus calor qualis inerat in perfecto animali, ſed illius reliquiæ, Igniculus verius quam ignis: ergo coelum demittit qualitatem non ſubſtantiam. Subiungis; *Cum agens naturale repatiatur, cœlum non nuda qualitate erit in mixtis:* Quod arguit craſſam & ſupinam phyſicę ignorationem, cœlum enim non agit σωματικῶς, ſed ἐνεργητικῶς ſi malis κατ' ἐντελέχειαν; ſola autem quæ agunt σωματικῶς repatiuntur agendo: coelum attingit nos contactu phyſico, nō mathematico, qualitate, non ſubſtantia, vt magnes ferrum, poeonia appenſa cerebrum: proindè non repatitur agendo. Supereſt illud non tātùm falſum, ſed ridiculum & omnibus phyſicæ principiis aduerſum. *Ex ſeminario principio in quo erant potentia, perfectè mixta prodeunt abſque concurſu quatuor elementorum.* Semen plantæ, vt triticum proiectum in terram, putret, putreſcens à coelo & ſolo acquirit vim procreandi ſimile: putredo enim duplex; vna quæ ducit ad interitum, altera quæ ad procreationem ſimilis; ad quam reſpiciebat Empedocles, quando finiebat vinum aquam quæ putruit in vite: eodem quoque ſpectabant veteres qui putre- ὕδωρ ἐν ξύλῳ σαπέν.

dinem pro coctione vſurpabant. Proiectum igitur ſemen in terram illa vi genitrice quam à coelo & ſolo accepit, non aliter quàm foetus ex vtero, de ſinu terræ ſuccum allicit naturæ ſuæ conuenientem. Hic ſuccus, ſi neſcis, non minùs quàm ſanguis maternus, eſt corpus mixtum, & elemẽtis quatuor temperatum: iiſdem enim vnũquodque generatur, quibus nutritur, nutritur autẽ planta miſto, non vno & ſimplici elemento: quod poſtea fuſius & opportunius demonſtrabitur. Succus ille quem coctione prima ex alimentis educit natura, eſt naturalis alchymiæ quinta eſſentia. Atqui citra controuerſiam eſt corpus elementare, ſui parentis nẽpè alimenti ſeruans elementarem naturam. Sanguis qui ſecunda ſpagyria fit ex chylo, conſtat quatuor humoribus, qui quatuor elementis proportione reſpondent: Quinta eſſentia veræ & naturalis Alchymiæ erit elementaris, Chymica erit coeleſtis? Et audes cũ iſtis nugis probris nos inceſſere, qualia nemo niſi temulẽtus vomuerit? De tuis ſcriptis deleantur conuitia, vix reſtabunt in ſingulis paginis ſex integræ lineæ. Vt Annibalem iuueniliter exultantem Fabius patientia ſuperauit; ita iuueniles tuos furores compeſcam philoſophica modeſtia.

Nutritio fit misto non uno Elemento.

Ad pag. 22.

Semen & maternus ſanguis ſunt prima noſtræ generationis principia: vtrumque elementare, quamuis ſemen ſit igneum magis & aëreum, menſtruum verò aqueum & terreſtre: nihil habent coeleſte præter calorem qui inſi-

det aëriospiritui, quem si ab effectis diuinum & coeleste corpus dixeris cum Aristotele, non habebis me repugnantem. Controuertitur inter Peripateticos melioris notæ, si genitor iste spiritus remaneat in opere perfecto, an potius dispareat, & à se perfectum opus introductæ formæ committat regendum: non est verisimile illum simul cum forma permanere: quia vis procreandi simile animæ tribuitur: proinde permaneret illic otiosus. Quod si dispareat opere perfecto, cur perquiritis, quo iure à vobis extrahi gloriaris? Extrahatur sanè, attamen consentiente Libauio Antigramanico est elementaris, quia aërius: Quis non videt hæc à te disputari, non veritatis inquirendæ, sed contradicendi studio?

Aristotelis Priuatio defenditur à reprehensione Libauij.

E*Iusdem est farinæ*, &c. Aristoteles rerum physicarum constituit tria principia, duo constitutionis, ex quibus res quæque constat, materiam & formam: vnum transmutationis, cuius causa sublunaria omnia assiduè mutantur: propterea principium maleficum ab eodem nominatur. Appetitus iste nouitatis est Galeni σύμφυτος ἀνάγκη, necessitas ineuitabilis, propter quam debemur morti nos nostraque: illius enim causa materia elementaris exuit veterem formam vt induat nouam; quod de coelesti materia non dixeris: nam tantum

abeſt vt in ſubſtantia mutationem admittat ortum ſcilicet vel interitum, cùm ne alterationem quidem manifeſtam vllus in ea adhuc obſeruarit. Propterea à D. Thoma dicitur habere potentiam ad vbi, non ad eſſe: quia pars cœli quæ manè eſt in oriente, veſperi erit in occidente. Super iſto principio ferè tota phyſica vertitur, quod eo ſtudioſius contemplandum, quia maleficum, omniſque mutationis, ortus, interitus, alterationis, accretionis & decretionis principium: nam omnes affectiones phyſicæ acquiruntur aliquo motu, natura ipſa definitur principium mutationis, Idemque eſt naturale corpus, quod mutabile. Atqui ratione priuationis eſt mutabile, coelum verò immutabile, quia non habet illam adiunctam. Itaque vt mutationis, ita naturæ verum principium cenſeri debet. Platonici appellant occaſionem mutationis. Si me audis, deſeres fallacem artem, & ad Ariſtotelis philoſophiam animum adiunges: plus enim ſenties voluptatis ex contemplatione huius cauſæ fatalis interitus, quàm vtilitatis ex perquiſitione margaritæ pretioſæ.

Vt femina marem, res turpis pulchritudinem: ita materia appetit formam; verùm iſtũ appetitum non poteſt explere, hanc potentiam non poteſt ipſa per ſe ad actum promouere: quia eſt principium paſſiuum: proinde ab externo aliquo promouenda eſt. Hoc quale ſit, magna animi contentione veteres phyſici diſputarunt. Platonici hanc vim attribuunt

animæ mundi, quam contendunt eſſe diffuſam per vniuerſum, argumentis ſanè veriſimilibus, quæ olim in vnum collegi libro de Anima mundi. Hanc quæſtionem in vtramque partem liberè diſputaui: quia D. Auguſtinus in Enchiridio, & B Thomas contra gentes exiſtimant in ſchola Chriſtiana non referre, vtrũ defendatur: theſim eſſe problematicam. Stoici verò hanc vim attribuunt igni, quem vniuerſi cauſam continentem appellant: quia illius præſentia ſingula viuunt, eiuſque abſentia moriuntur. Ariſtoteles verò negat permanentem eſſe vllam ſubſtantiam coeleſtem quæ materiam elementarem informet, ſeu vim illi congenitam ad actum perducat: quia non ſunt entia, vt loquuntur ſcholæ, ſine neceſſitate multiplicanda, fruſtraque fit per plura quod fieri poteſt per pauciora. Atqui calor qui quotidiè nouus cælitus demittitur, ſatis eſt potens ad introducendas formas & animandam materiam: proinde cùm hæc cauſa ſit ſenſu notiſſima, non eſt quod ad ignotam & dubiam confugiamus. Verùm calor iſte eſt accidens, proinde non poteſt per ſe cohærere, ſed in aliquo ſubiecto ſubſiſtat, neceſſe eſt. Quo, ſi non aëre? Hunc calorem cum aëre animalia perfecta continenter attrahunt inſpiratu, ad regenerandos ſpiritus diſſipatos, in cætera per poros ſeſe inſinuat: eſt enim aër ἀναπληστικὸς, cuncta rerum permeabilis, vt loquitur Plinius. Aëre igitur vectore quoquouerſum ſeſe inſinuat calor ille qui quotidie nouus affulget mundo.

Quamobrem etiamſi ſpiritus otioſus & inutilis in mixtis poſt mortem remaneret, & igne Chymico extrahi poſſet, nihil tamen coeleſte, ſed elementare extraheretur. Conſideremus iam quid obiicias.

Ariſtoteles ipſe, inquis, affirmat calorem coeleſtem excipi ſpiritu, qui eſt corpus. Quid tum poſtea? Excipiatur ſpiritu, quem ab effectis diuinum & coeleſtem verè dixeris: at non demittitur coelitus cum ſpiritu, ſed cum lumine deſcendit & ab aëre contiguo, vt proprio & conuenienti ſubiecto excipitur. Sic Platonici animam rationalem deſcendere in corpus exiſtimāt duobus vehiculis ſubnixam, primo coeleſti, quod, ſi placet, eſto lumen, altero aëreo ſeu ſpiritali, quo veluti moderatore, fit mūdanus, atque, vt illi loquuntur, ciuis generationis. Ad hæc quid obiicit examinator. Quaſi parta victoria his verbis triumphat. *Ariſtoteles ſcribit ex humore fieri bullam, quomodo hoc fiat, dic Cenſor?* Diſce tyronibus notiſſima, ſemen cōſtare calore, ſpiritu & ſpũma; hanc fieri ex humore à calore & ſpiritu. Albumen diu agitatum incaleſcens motu, totum vertitur in bullam, moxque illa in humorem reſoluitur: quomodo ſemen ſi refrixerit, puta ſi in terram cadens priuetur ſuo ſpiritu, mox aqueſcit, reſoluitur in ſubſtantiam elementarem. Qui hanc vitam deſpiciendam ſuadent vt momentaneā reſpectu futuræ, comparant eam bullæ. Vt deſpiceremus cœleſtes tuas eſſentias, fugitiuoſque tuos ſpiritus ſperneremus, non potuiſſes

melius quàm bullæ cōparare. Ecce tuus Achilles qui totam disputationem terminat. Calor cœlestis ex humore bullā efficit, essentiæ Chymicæ analogam.; Atqui bulla est corpus spiritale & cœleste. ergo dari potest in elementari mundo essentia quædam cœlestis. Imo quia bulla fit ex humore, & soluitur in humorem, non est cœlestis. Accedat quod sit excrementum, quamuis benignum, per se inefficax: proinde secundùm istam anologiam vestræ essentiæ erunt inefficacia excrementa. In bulla distingue calorem, spiritum, & spumam, & considera tu ipse quodnam horum sit cœleste, spiritusne, te iudice, aëreus, spuma περίττωμα, excremētum per se inefficax: an calor à quo vtrique vis & energia.

Ad pag. 24.

Spiritus naturalis est duplex, vnus fixus, alter influens: hic accedit illi in subsidium: cùm enim spiritalis essentia sit euanida, ab influente reparatur; cuius quidem influxu priuarum membrum, paulatim contabescit: sunt autem fixus & influens eiusdem naturæ: congenerem enim esse oportet, qui fixi iacturam reparet, Ergo si influens, qui partim fit ex vapore sanguinis, partim ex aëre inspirato, si mauis ex aëre & igne contemperatis, sit elementaris; quidni fixus eiusdem erit naturæ? Quod si genitor spiritus qui maximè omnium spirituum perhibetur cœlestis, sit tamen substantia sua elementaris, qualitate tantùm & viribus cœlestis, quo iure fixus erit conditionis & naturæ melioris?

Verùm demus essentiam spiritus fixi esse cœlestem : at non est efficax, nisi quia calidus, morte autem refrigescit : quia mors est natiui caloris priuatio. Fortassis vertitur in halitum, perditque cum calore & energia nomen spiritus, veriusque tum flatus aut halitus diceretur. Esto tamen spiritus, sed cùm morte refrigescat, vnde extractis vestris tantus calor, si non ab incendiario Vulcano? Quem Prometheus cleпserat diuinum & cœlestem calorem ad hominis formationem & conseruationem vos Vulcanio & vstulatori, permutatis.

Intendisti hactenus omnes neruos, & veluti pro focis & furnis tuis disceptasti, vt probares Chymicos spiritus esse cœlestes: nunc te reprimis, faterisque tantùm κατ. ἀναλογίαν esse cœlestes. Verùm vt sint cœlestibus analogi, debent esse moderati: natiuus enim cùm exuperat, fit febrilis: quandoquidem diaria febris nascitur accenso spiritu. Atqui vestrorum spirituum præsertim qui de mineralibus extrahuntur, calor est intensissimus. ergo neque analogia respondet cœlesti. Huius quæstionis tam contentiose disputatæ non alium postulo iudicem quàm Libauium ipsum, qui Panaceæ pag. 145. ita scribit : *Prolepsis de extracto igne cœlesti, vana & nugatoria est: non enim ex elementaribus extracta natura ignea, potest esse cœlestis.* Quare oportet mendacem esse memorem? Ne ore proprio conuincatur mendacii.

Cæterum quod obiter inseris de Cometa, est commentum Cardani à viris doctis iam pri-

dem refutatum, quibus placet cum Ariſtotele, Cometam eſſe meteorum igneum in ſuprema aëris regione ab exhalatione genitum, fieri tamen poteſt vt ſubſit ſtellæ, eamque veluti ducem comitetur barba, cuius cauſa ſtella barbata creditur: verùm in hoc parergo non ſunt ſiræ Latii opes, pergamus.

Ariſtoteles ens metaphyſicum diuidit in actum & potentiam; quia quicquid ſimpliciter dicitur eſſe, aut tale eſſe, actu aut potentia tale eſſe neceſſe eſt, potentia, inquam, proxima vel remota: proxima ſi iam materia ad actum inclinet: ſic chylus eſt ſanguis, quia leui alteratione conuerti poteſt in ſanguinem, eodem modo ſanguis eſt caro: At panis potentia remota eſt ſanguis, quia non niſi per varias alterationes conuerti poteſt in ſanguinem. Actu autem vnumquodque tale dicitur præſentia formæ, quæ idcirco ab Ariſtotele paſſim actus nominatur. cùm natura facit chylum ex pane aut ſanguinem ex chylo, proximam potentiam deducit ad actum, ſi mauis, facit vt materia actu talis reddatur, qualis poterat eſſe. non dixeris propriè illã de pane chylum, aut de chylo ſanguinem extraxiſſe, ſed mutatione potentiæ in actum effeciſſe. Nos coctione & infuſione ſecernimus de mixtis temperamentum & qualitatem ſpecificam: quia vtrumque actu ineſt. At eſſentiæ veſtræ non inſunt actu in mixtis, ſed fiunt à vobis ex materia variis alterationibus præparata, non aliter quàm chylus ex pane, cor & iecur ex ſanguine. Propterea eſſen-

tia auri, vt sit hoc pro multis exemplum, non possidet eam temperiem & formam quam aurum integrum possidebat. Ita sit, inquis, sed mutatio illa à nobis fit in melius. Acquirit quidem essentia auri à Vulcano calorem intensiorem, & vim longè vehementiorem, an propterea meliorē? Natura offenditur omni excessu, sola mediocritate conseruatur. Crede mihi, nunquam Quercetanus tuus benè medetur, nisi cum ordinariis etiam longo vsu probatis remediis medetur: medendum quidem citò, sed tutò.

Ceterum extra rem dubitas, si Deus extraxit mannam de sole miraculosè: potuit naturaliter ex concreto rore in densis siluis, si potuit ordinaria, non erat necessaria absoluta & extraordinaria potentia, ad quam pertinent miracula.

Ad pag. 25.

Forma mixti vel est temperies, vel temperiē proximè sequens essentia: Atqui essentiarum secretione cum materia temperies soluitur, cum temperie forma, cum vtroque proprietates inde consequentes: Hoc argumento, quia premite sentis, respondes pro tuo more conuitiando. Verùm si temperies à materia sit inseparabilis, forma à temperie, quis neget destructa materia crasim simul & formam corrumpi? Negas essentiam Chymicam esse formam, verùm duæ tantùm substantiæ mixta constituunt, materia & forma, hæc principium est actiuum, illa passiuum. Essentiæ vestræ sunt

efficaciſſima principia, actuoſiſſimæ ſubſtantiæ, cur igitur denegas illis nomen formæ? forma eſt principium omnis perfectionis & vnionis: Materia verò multitudinis & confuſionis. Cur ergo mauis eſſentias Chymicas ad maleficum, quàm ad beneficum principium referre? niſi vt inſinues tacitè illas eſſe maleficas. At hoc ſciebamus etſi non dixiſſes. Age verò, breuiter tua ſubducamus.

Mens, inquis, eſt forma phyſica; atqui illa eſt ſeparabilis: ergo aliqua forma phyſica eſt ſeparabilis. Mentem qui dixerit eſſe formam phyſicam, illeidem dixerit eſſe mortalem: propterea quod omnes formæ phyſicæ vt connaſcuntur, ita cōmoriuntur corpori. Enimuerò ſi forma phyſica te conſentiente ſit temperies aut temperiē neceſſariò conſequens eſſentia, ita enim Libauius Antigrammaniæ pag. 374. forma illa ipſa eſt craſis ſubſtantialis quæ facit vt miſtum ſit id quod eſt: ſoluta temperie, quis non videt neceſſariò formam perire? Sapientius Ariſtoteles inter metaphyſicas formas reponit, & in libris animæ ſcribit ſublimioris eſſe ſcientiæ de mente differere. Sit tamen forma phyſica: Atqui ſola eſt ſeparabilis: vos illam igne non ſeparatis, ſed ſolus opifex cùm numeros expleuit. Ergo nullam formam naturalem poteſtis ſeparare; ſed materiæ portionem igneam incendiario Vulcano magis magiſque incenditis; quomodo incenſus ſpiritus facit febrem diariam. Vtinam non eſſet ſpiritus mineralis diariæ peſtilenti quàm ſimplici ſimilior, non eſſet

ſpiritui venenato quam calidiori cognatior.

An expediat reipublicæ Medicum fungi Pharmacopæi & Chirurgi officio, an potius ita diſtingui, vt illi Medico miniſtrent.

SVnt artes quædam Architectonicæ quæ inferiorum artium miniſterio ſuum finem conſequuntur, cuiuſmodi ſunt architectura & medicina. Architectus enim ſuperbi alicuius ædificij exemplar circumfert mente, cuius perficiendi gratia vtitur opera latomi, fabri ferrarij & lignarij. ſinguli operantur ſecundùm formulam ab Architecto præſcriptam, & formæ quam ille meditatus eſt ſuum quiſque opus accommodat. Differunt ergo quod Architectus verſatur circa formam, ideam domus ſemper verſans animo, in eamque perpetuo cogitationem defigens: cæteri artifices materiam propriam & arti ſuæ conuenientem aptant formæ ab Architecto præſcriptæ; proinde penes Archytectum eſt ſciẽtia & imperium, penes operarios operatio & obſequium. Medicus ſimilis eſt Architecto; habet pro fine ſanitatem Socrati reſtituendam: ſpectatis infinitis diorіſmis, morbi ſpecie, magnitudine, viribus, ætate, temperamento, ſexu, conſuetudine. quærit deinde remedia, quorum formulam Pharmacopœo præſcribit, hic circa materiam verſatur: præparat enim remedia ſecundùm datam formam. Vt autem dignior eſt artifex qui verſatur circa formam, quàm

qui circa materiam: ita Architectus & Medicus suis operariis longè antecellunt. Potestne Medicus ipse remedia præparare salua artis suæ dignitate? Potest operariorum inopia, vt in vrbibus, in quibus non sunt artifices distincti: At in populosa ciuitate, vbi sunt distincti, vt olim Romæ, hodie Lutetiæ, non debet iacere falcem in alienam messem. Contentus sit ministris operandi formam dictare. Equidem Galenus cùm in Asia Medicinam faceret, vbi vnus & idem erat Medicus, Chirurgus & Pharmacopœus, medebatur, prout ferebant mores patriæ: At cùm primùm appulit Romam, atque ibi distinctos artifices reperit, Chirurgis operationes Chirurgicas commisit, Pharmacopœis Pharmaceuticas. si quando ipse manum admouit operi ministrorum inopia, idem fecit quod Imperator qui necessitate belli vrgente sese demittit ad gregarii militis officia. Nihil tam facile quam secare venam, aut cauterium admouere, facilius parare & inijcere clysterem; tamen istas operationes Pharmacopœis nostris & Chirurgis libenter relinquimus. Si tu hîc esses, lubentius ista ministeria tibi cederemus. Præest Medicus cadauerum publicis dissectionibus, vt Doctor; vbi singularum partium situm, vsum, & consensum demonstrat: quod est versari circa formam, dissecat Chirurgus, quod est versari circa materiam. Medicus præscribit ægro apozema ex multorum simplicium collectione compositum,

Pharmacopœi officium erit iſta ſimplicia colligere, coquere,& ex præſcripta à Medico formula apozema componere, compoſitum ad ægrum deferre. Lutetiæ cùm ſeges eſt morborum, quotidie viginti plus minus ægros habemus bis inuiſendos, mane & ſub veſperam;vix poſſemus duobus ſufficere,ſi quę pręſcribimus remedia, deberemus ipſi conficere, præſertim cùm ægri ſæpiſſimè longiſſimis diſtent à ſe inuicem interuallis. Artes circũſcriptæ ſunt ſuis finibus:Chirurgia & Pharmaceutice ſunt artes Medicinæ ſubiectæ, atque, vt dicitur ſubalternæ. Itaque concludantur ſuis finibus, tractent Chirurgi chirurgica, Pharmacopœi pharmaca, neque vnus in alterius poſſeſſionem inuadat, vtrique Medicus quid facto ſit opus pręſcribat. Si quod tamen Medicus habet rarum & arcanum remedium,poterit parare domi; quia hoc nihil detrahit artis dignitati; ſed domum Medici eſſe pharmacopolium, in qua proſtent remedia venalia, domum Medici eſſe tonſtrinā, eſt contra decus atque honorē artis & artificis. Permiſi ſpecificum à Medico parari domi, neſcio ſi iuſtè. Vidi enim non ſemel ægrum ea die qua ſumpſerat caſſiæ vnicam vnciam vitam cum morte commutaſſe, inopinato, vt credibile eſt, rupta vomica. Parentes & vulgus accuſabant remedium, non morbum: neque potuiſſet Medicus calumniam effugere,niſi ex officina Pharmacopœi conſtitiſſet vnicam caſſiæ vnciam fuiſſe præſcriptam. Quod ſi remedium hoc quanquam innoxium domo ipſe attuliſ-

ſet, nunquam ſe à calumnia liberâſſet; quid ſi eſſentiam mineralem? Item ſi Medicus paret remedia domi ſuæ, poterit impunè pro melle aconitum præbere. Quis enim poterit fraudẽ detegere? At formula remedij apud Pharmacopœum inuenta, accuſabit aut excuſabit Medicum: Item affirmet ſe exhibuiſſe Bezoartica, eaque chymicè præparata, qui ſciri poterit ſi mentiatur? Exigat centum, ſi placet, mille aureos, quis pretio ſtatuet modum? Itaque videtur à magiſtratu optimè conſtitutum, vt medendi artifices ita ſint diſtincti, vt Medicus imperet, pareant Pharmacopœi & Chirurgi; hi circa materiam verſentur, ille circa formam. Defunctus eſt Pharmacopœus ſuo officio, quãdo apozema quale præſcriptum eſt à Medico, compoſuit. non eſt illius inquirere ſi benè aut accommodate, quia Medicus illo veluti inſtrumento ad ſanitatem vtitur: Pharmacopœum permittimus tenere parata vtriuſque generis remedia tam chymica quam dogmatica, vt ſeligat Medicus quæ velit pro morbi neceſſitate. Ægyptij ſingulis morbis ſingulos Medicos deſtinabant, vt in vno quiſque magis excelleret; quia occupatus in pluribus in ſingulis eſt ignauior. Medicus alicuius nominis Lutetiæ ab aurora ad veſperam cogitur vrbem circuire, vt ſufficiat tot ægris; quomodo pararet domi tot remedia, aut ſuis miniſtris præſens adeſſet? Quàm tu es diſſimilis ab Antigramanico illo Libauio qui ſcripſerat: *Pharmacopœorum eſt à Medicis præſcripta pharmaca manu mi-*

ſcere & adhibere clyſteria, quod ipſi non præparemiis; in cauſa eſt magiſtratus, qui in publicum conſulit, vt ſciatur quæ medicamenta præſcribant Medici: Itaque publicè fiant, examinentur & proſtent vnicuique emenda. Quo vſque perges inconſtantiæ tuæ & leuitatis certiſſima nobis dare argumenta? Dic obſecro, quando & vbi te ſedentem inueniemus?

Cæterùm falſum eſt te docuiſſe quod quæritur, Medicatricem Alchymiam, quæ principijs, cauſis, ſignis & remedijs differt ab Hippocratica, olim fuiſſe vſitatam: Quia Rhaſis, Meſueus, Auicenna, Fernelius, Syluius, Hollerius erant dogmatici, cæteri vt principes à te commemorati erant chryſopœi non medici. Metallurgica eſt communis Chymiatro & Chryſopœo, verùm illi fundunt metalla longè diuerſo fine: Chymiatri ad ſanitatem, Chryſopœi ad opes.

Quæris, ſi Chymiatrice ſit ars liberalis. Reſpondeo, ſi ſpectes ſcientiam eſſe liberalem, ſi operationem, illiberalem. Doctor qui Pharmaciam ſcripto & voce profitetur, qui præſcribit miniſtris pharmaca, chymica vel dogmatica, non refert, eſt ingenuus. At ex præſcripta formula operari, ex alterius voce & ſcripto pendere, ſeruile eſt.

Chirurgi sunt medicorum manus medicus est mens seu caput κεφαλὴν ἔχει.

An Spagyrica remediorum præparatio ad benè medendum ſit neceſſaria.

SVmmus opifex mundum, mundanaque omnia creauit, vt quemadmodum artis & artifi-

artificis industria cernitur in opere; ita in mundo & mundanis suam maiestatem demonstraret: singula enim manifestè opificis sui excellentiam declarant. Non est animalculũ in quo non eluceat sapientia singularis, cœlum & terra & quæcunque illis continentur, enarrant gloriam Dei. Omnia autem sunt in suo genere perfecta, singula pro fine & vsu cui ab opifice destinantur congruenter temperata atque conformata. Clypei sunt Mineruæ, si quid adiicias aut detrahas, totum ruet opificium. Peccant igitur grauiter in naturam, dicet aliquis, Laniones, dum omne genus animalium, quadrupedes, volucres & pisces iugulant: peccant quoque grauiter in naturam Pharmacopœi, dum viuentes adhuc plantas euellunt, vt ex illis suas compositiones efficiant: iustaque fuit olim Pythagoreorum querimonia, qui parcebant viuentibus, ne fieret iniuria operi & opifici; quibus ita satisfactum velim: Homo est sublunarium omnium τέλος ὤ, omnia à Deo in illius vsum creata sunt, exercere potest imperium suum in omne rerum genus, illisq; pro necessitate vti, non abuti: proinde Laniones dum illi mactant oues in alimentum: Pharmacopœi dum vellunt plantas vt illi languenti subueniant, non repugnant opificis consilio & instituto. Quid si dixeris illos de animalibus & plantis bene mereri, eo quod illa per assimilationem amissam vitam permutant meliori? Hoc hominis imperium imitantur potentiores animantes, dum vescuntur imbecilliori-

bus easque perquirunt in prædam; verùm sine arte & apparatu illis vescũtur: Homo qui solus sapit, qui solus natus est ad ciuilem societatem, tam alimenta quàm medicamenta præparat. Hinc coqui sanis alimenta, Pharmacopœi ægris medicamenta præparant: quo titulo si includam chymicos, quæ fiet illis iniuria? Potest-ne aliquid esse gloriosius quàm languentibus arte aliqua subuenire? Deus est iuuare mortalem: pro Diis habiti sunt qui artis alicuius inuento humanum genus adiuuerunt. Pharmaceuticæ inuento humano generi quid vtilius? Nouæ præparationes sunt additamenta ad Pharmaceuticen. An ad benè medendum necessaria? Distinguo. Necessarium dicitur duobus modis, absolutè & secundum quid. Absolutè necessarium dicitur, sine quo aliud fieri non potest. Potuerunt Hippocrates & Galenus, potuerunt Aëtius, Oribasius, Ægineta, Græci denique omnes & Latini melioris notæ, vt Celsus, ignorata Alchymia benè mederi (vtinam vos tam benè) quidni eorum salutaribus præceptis instituti Dogmatici neglecta Alchymia poterunt mederi? Altero modo necessarium dicitur quod vtile est, & confert ad melius medendum. Atqui ne hoc quidem modo necessariam esse Alchymiam aliquis ita probabiliter contenderet: Aut illa constituit quartam sectã quæ nouis principiis & insolentibus, Hippocratis doctrinam funditus euertit, quam defendimus non tantum esse inutilem, sed per-

niciosam; non habebo illum pro Medico, sed pro insano, qui pro ista Alchymiæ parte velit pugnare. Restat præparatoria quæ seruatis Hippocraticæ Medicinæ principijs, cuiusmodi Rasis, Auicenna, Mesueus, Albucasis à te memorantur, Pharmaceuticen remediis nouis, & nouis remediorum formulis illustrarunt: quibus hæc debetur gratia, quod cum Hippocrates catharticis vehementioribus, vt peplio & elleboro, benigniorum inopiâ, suos ægros purgare cogeretur, illi benigna & amica naturæ inuenerunt, Mannam, cassiam, rheum, tamarindos, myrobolanos, &c. quibus dici vix potest quantum adiuta sit ars bene medendi: Verùm Chymici in illorum locum conantur introducere extracta mineralia peplio & elleboro longè vehementiora, ac si hanc gratiam inuideant mundo, naturæque ruinam & perniciem intentent, vulgus curiosum & appetens nouitatis neglectis istis benignis ad Paracelsi extracta malefica veluti ad sacram anchoram confugit: Hacque veri specie deluditur, quod sint palato gratiora, sua quippe fæce & crassamento repurgata, quodque minima quantitate sumpta multum purgent; quibus titulis commendari possunt venena. Ecquid vtilitatis reipublicæ afferre possunt essentiæ, cùm Libauius auctore Durnesio affirmet ex vna libra materialium vix vnam dragmam spiritus elici? Chrysopœa suis diuitias promittit, spirituum vsus frequens inopiam. Estne verisimile in vna dragma spiritus plus inesse virium,

siue purgandum sit, siue astringendum (quæ sunt prima & communissima medētis officia) quàm in dimidia libra materiæ? Præsertim cùm auctore Galeno siccitas terrestris ad astrictionem requiratur? Atqui hoc necessarium est, si modo inuentio vtilis reip. iudicari debeat. Soleo mirari, Medicos Arabes, qui à te inter Chymicos magni nominis memorantur, essentiarum mineralium nunquam meminisse quoties in magnis morbis præscribunt vehementer purgantia: extremæ enim fuisset malitiæ tam nobilibus inuentis posteritatem fraudare. Lege diligenter Auicennæ, Rasis, Mesuei therapeuticen, abundant sylua catharticorum, sed nullum præter ordinaria & nobis vsitata reperies. Itaque vestris extractis facile careremus, neque tamen extracta omnia reprobamus, sed ad Pharmaceuticen suo loco & ordine referri volumus, & in Pharmacopoliis parata teneri, vt siquis extractum rhei malit quàm infusum, præferatque extractum ellebori illius decocto, inueniat illic paratum, non extractum minerale, metu periculi.

Quod perfectio Medicinæ consistit potius in dignotione morbi, quàm in præparatione remedij.

Ad pag. 28.

Τέχμαρσις est prima & præcipua pars Medicinæ, primum enim est in medendo, vt dignoscas partem affectā, vbi est sedes morbi, de-

inde causam tam externam quàm internam. Externam, vt te deducat in cognitionem latentis. Tertiò species morbi diligenter inuestiganda est; quià ignoti nulla est curatio morbi. Hæc tria qui ignorat, pugnat cum hoste clausis oculis, sanat ex euentu, non arte & consilio. Quibus cognitis inueniendum est remedium morbo & morbi causæ accommodatū. Si febre tertiana, quam bilis committit, æger laboret, deligendum cholagogum, si quotidiana, quam efficit pituita, phlegmagogum. Inuenire proprium remedium non est facile, sed nihil facilius quàm inuentum præparare, imo sine vlla præparatione sæpiùs exhibetur. Tam facile est inuentum remedium arte præparare & in mille formulas reducere, vt nullus sit in arte medendi medioriter versatus, qui non possit datum quodlibet remedium ex tēpore saltem in duodecim formulas transmutare; deligat æger quam volet formam, dogmaticus in rem præsentem describet, non afferet domo meditatam: longè difficilius est morbo & morbi causæ proprium remedium inuenire, difficillimum verò partem afflictam, speciem & causam morbi dignoscere. In quo summa laus & perfectio medendi consistit, hoc opus, hic labor est; paucis hoc concessum est; his scilicet qui longo vsu & experientia medēdi sunt valde periti. Verùm difficillima pulchra; qui potest difficilius potest facilius. Propterea iure scripsit summus medendi magister; qui potest dignoscere, potest curare.

Ad pag. 29.

Celſus ſuadet præferenda remedia, quorum maiores noſtri tulerunt pericula. Poſſunt cæteri artifices in vili ſuo ſubiecto artis ſuæ facere experimenta minima iactura: At mineraliũ extractorum experimenta non poſſunt fieri in tam nobili ſubiecto ſine vitæ periculo, periclitarores ludunt de vita humana, nõ aliter quàm cæteri artifices de vili ſuo ſubiecto. Meliora ſemper iudicata ſunt remedia, quę infinitorum ſeculorum auctoritate ſunt comprobata. Reſpondes Chymica purgantia non eſſe noua, ſed iam à multis ſeculis probata. Cedo vnum in tota Raſis, Meſuei aut Auicennæ therapia. Illi ſuffecerunt benigna in locum vehementiorũ, an ad vehementiora, illa vehementiſſima adiecissent?

Ad pag. 30.

Spagyrici ipſi, &c. Medicina ſcripta eſt ægris, non ſanis. Spagyrici cùm ægrotant, malunt curari dogmaticorum, quàm Chymicorum præſidiis, id eſt, benignis potius quàm violentis. Itaque patet hoc ſigno ab illis ipſis dogmatica Chymicis anteponi, non eſt in argumento ſed in ægro fallacia ſi ſanus redeat ad vomitũ, puta, ſi Turquetus remediis & Medicis maledicat, quorum ope à magno morbo conualuit; Laudatis ægroti dogmàtica, ſani vituperatis. ergo quoties ægrotatis corpore, toties eſtis ſani mente: cùm verò ſani eſtis corpore, ægrotatis mente.

Chymica ſunt actiuiora. Toties inculcas Chy-

mica esse actiuiora & maioris actiuitatis, vt cogar obiter te monere latinius & significantius dici potuisse actuosiora, efficaciora, energiæ maioris: verùm sint actuosiora, an proptere meliora? Venenum quò efficacius eo deterius. Pestis spiritalis interficit celerius quàm humoralis.

Depulsio manifestæ calumniæ.

Ad pag. 31.

Si crasis est forma mixtorum, nos autem auctore Riolano extrahimus formam; quæ dementia est nos accusare corruptæ crasis? Quis vnquam audiuit tam stulta? Egone scripsi vos extrahere formã? Vbi? plusquam viginti locis demonstraui vos esse naturæ hostes, quia naturam natura spoliatis; exuitis mixta sua naturali forma, vt vestiatis aliena. Quoties docui vestris extractionibus cùm materia diripi temperiem, cum temperie formam, cum forma proprietates formam necessario consequentes: quia diruto fundamento stare non possunt, quæ superstruuntur: materia autem quam corrumpitis essentiarum extractione est istorum omnium primum & commune fundamentum. Hæc cum docerem, Haruetus sic obiiciebat: Forma est principium actiuum, Atqui remanet principium actiuum in extractis: ergo forma. Item nón potest mixtum absque temperie subsistere: extracta subsistunt: ergo cum temperie. Audi iam quid illi responderim.

Equidem vestra extracta habent aliquam formam, quia actiua; habent aliquam temperiē, quia mixta; sed longè aliam à naturali, longè differentem ab ea quam natura dederat mixto: causa enim dignoscitur suis effectis, forma viribus & actionibus. Atqui vestræ essentiæ vires & actiones longè alias habent ab iis quas habebat mixtum cùm natura sua integra constaret: ergo immutata est forma extractione, mutata temperies cum materiæ destructione. Respondebat iterum mutatam quidem esse formam, mutatam temperiem, sed in melius. Ego contrà; Vestrorum spirituum actiones sunt violentæ & exuperantes, cum integro mixto inessent moderatæ: mixtum integrum habebat calorem temperatum, vos igne flagranti redditis intemperatum, vt comparatione spiritus auri cum auro declarabam: quià vobis veluti extractorum omnium idæa proponitur: proinde concludebam: vt febris est calor natiuus mutatus in igneum: ita vestros spiritus esse substantias, quas Vulcanus ex temperatis fecit intemperatas, ex moderatis violentas. Possem infinita alia quæ sunt dispersa in vnum congerere, nisi hæc satis euidenter te conuincerent imposturæ & falsitatis. Quoties sentis te premi, Aut, veluti Thrax emisso iaculo, fugis euomito conuitio: aut confìcto aliquo mēdacio aduersarium impetis. Moneo te quando voles mentiri, vt probabilius mentiaris. Præstitisset te propositis argumentis respondere, quàm mentiri tam impudenter.

mendacium vestrum et probabilidare

Cæterum nolo repetere quæ fuerit ſententia Libauii Antigramanici de mineralibus extractis : Ille inuictis argumentis eorum vſum eſſe pernicioſum, nec minus quam Scyllam aut charibdin fugiendum demonſtrauit. Prima laus eſt Libauii perpetuò loqui pugnantia.

Ad pag. 32.

Facis iniuriam manibus viri doctiotis te, quod non potuerit in ſeipſo colici cruciatus cauſam dignoſcere : putauit eſſe à flatu : quia pro remedio, aniſi chymicum oleũ vſurpauit : Atqui potentius fuit aniſi decoctum quàm illius eſſentia : Non video quo iure poſſis denegare aniſi decocto vim diſſipandi flatus : cùm ſit flatulentorum correctiuum, & quotidianus vſus demonſtret eſſe potens carminatiuum.

Genuina virtus manet in extractis potius quam in infuſis aut decoctis, &c. A Libauio Chymico prouoco ad Antigramanicum, vbi ille ita. Solius eſt caloris moderati purum ab impuro ſeparare, exuperans enim corrumpit, quod demonſtrat hoc argumento: Ventriculus temperatus cogit homogenea in chylum, heterogenea verò vt fæces ſeparat : quod ſi fuerit calidior, aſſabit, non elixabit, corrumpet alimentum & malè nutriet. Alchymia igitur noſtra quæ ſimilior eſt elixationi, quia calore blando mixtorum vires ſeparat præferenda eſt veſtræ, ſpagiriæ, quæ calore vehementi non aſſat, ſed torret, vrit, quinetiam te iudice corrumpit : quia ſolus ignis moderatus ſeparat : immoderatus corrumpit. De alio genere extractorum,

mirabor tecum cur præferant Chymici extractum ellebori eius decocto: cùm sit ingratius & vehementius. Vt fiat extractum Rhabarbari, infusio coquitur ad consumptionem liquoris, expressio iterum coquitur ad crassitiem mellis, adiecto saccharo: Duplici illa coctione non potest aliquid virium illi non deperire: quia vim purgatricem habet in spiritu: Propterea nos præferimus infusum extracto.

Placet-ne vt teipso iudice lis tota componatur? Reuoca in memoriam quæ scripsisti Antigramaniæ pag.376. *Veteres longè feliciores & circumspectiores fuerunt in extrahendo per simplices infusiones, quæ reuera potissimam essentiæ partem non soluta illa prima mixtione & intima educunt. Et quidquid veri de essentia habent Paracelsici, id omne tali extractioni debetur: reliquæ operæ potius sunt corruptiones*, &c. Quid aliud sperare possis à iurato dogmatico, qui velit suas infusiones Chymicis extractionibus præferre? Tam differt iste Libauius Antigramanicus ab Antiriolanico, quàm sapiens à phrenetico.

Ad pag. 33.

Vt demonstrarem quemadmodum olim veteres, ita hodie dogmaticos sine vlla sanitatis iactura Chymicis præparationibus carere posse, sic ratiocinabar: Præparatio Chymica est carior, minusque efficax: ergo inutilis. Cariorem esse demonstrabam; Primò, quia longior fit & operosior nostra ordinaria & vulgari. Secundo, quia auctore Dornesio & approbatore

Libauio ex vna libra materialium vix vna dragma ſpiritus elicitur. Ita enim Libauius Antigramaniæ pag. 276. Eſſentia de toto aliquando vix eſt centeſima portio: nam, vt affirmat Dorneſius, Chymici reducunt res ad eam tenuitatem vt libræ reſpondeat dragma vna: Centenario ponderi libra: Amphoræ dimidia menſura: menſuræ tres guttæ. Vt autem longiorem eſſe & operoſiorem oſtenderem, comparabam decoctum cum diſtillato, infuſum cum extracto. Noſtri Pharmacopœi dicto citius parant apozema à Medico præſcriptum, Chymici non ita expeditè diſtillatum. Infuſum rhei citius parari quàm extractum patet: Quia infundi prius, deinde bis coqui debet extractum: Quod minus ſit efficax quàm infuſum, ex eo monſtrabam, quod vna dragma rhei in infuſo plus præſtet quàm duæ in extracto. Prætermitto mineralium purgatrices eſſentias, quas Libauius tanquam venena putat eſſe fugiendas: Ex his concludebam dogmaticos chymica remediorum præparatione facile carere poſſe, neque tamen illas aſpernari, dummodo ad Pharmaceuticem referantur, ſuoque loco & ordine in antidotariis collocentur, non nouam Medicinæ ſectam conſtituant ab Hippocratica tam diſtantem, quàm cœlum à terra. Une nouvelle forme, Un nouveau droit

Non modo homini ad benè beateque viuendum neceſſaria eſt boni ſcientia, verùm etiam mali cognitio: quamuis vnum eligere ad vſum, alterum fugere perpetuò debeat.

Hiſtoriographi nobis ob oculos ponunt res præclarè geſtas à viris illuſtribus, vt eas veluti vitæ exemplar imitemur, ſceleratorum quoque hominum facinora oculis obiiciunt, verùm vt ea declinemus. Propoſui hiſtoriam præſidis, quem Chryſopœa perdiderat, vt cæteros illius exemplo ab artis damnoſæ ſtudio deterrerẽ. Propoſui ad eum finẽ Roberti Vallenſis hiſtoriam: potui alios innumerabiles.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

An à plantis potius quam à mineralibus petenda ſint remedia.

HOc eſt vnum ex præcipuis capitibus noſtræ contentionis aliàs à nobis contra tuos clientes diſputatum, recoquemus nihilominus hanc crambem: Primum argumentum eiuſmodi fuit: Medicamentum oportet vinci à naturâ noſtrâ vt reducatur ad actũ: Plantæ cæteris paribus melius reducuntur ad actum à calore noſtro quam metallica: Illa enim ſunt duriora, quàm vt à benigno & moderato calore vinci poſſint. Accedat quod ſunt venenata. Reſpondebant tui cliẽtes poſſe arte ita præparari, vt facile vinci poſſint à noſtro calore & venenata qualitas ſuperari: Verùm placet medicis notæ melioris igne reddi deteriora, vt que agendi, ita nocendi maiorem celeritatem ab illo accipere: quia venenũ

habent in spiritu si non omnia, saltem magna exparte. Secundum argumentum erat eiusmodi: Præferenda sunt remedia naturæ nostræ similiora: plantarum autem cum natura humana maior est similitudo quàm mineralium: quia similius est animatum animato, quam inanimatum: maior est eius quod vixit cum viuente similitudo, quàm eius, quod nec viuit, nec vixit vnquam. Vt enim maximè differunt, quæ specificis & essentialibus differentiis distinguntur: ita maximè sunt similia, quæ consentiunt formis, & quo maior est formarum inter sese, eo rerum quoque affinitas maior. Animæ cum anima, vegetantis cũ sentiente, maior est cognatio, quàm naturæ cum anima, inanimati cum animato. Obiecerunt tui clientes idem planè quod tu, quasdam scilicet plantas esse venenatas, plurima quoque animalia venenata, quæ ἰοβόλα ζῶα nominantur. Verùm an quia multa animalia venenata, idcirco non erunt potius ab animalibus quàm à mineralibus petenda alimenta? Multæ sunt plantæ venenatæ, quid tum postea? An non homo accepit prudentiam ad eum finem, vt discernat ab vtilibus nocitura? Facilius possunt vinci plantæ quàm metalla, cæteris paribus, inquam, hoc est, comparando vtile cum vtili, non fugiendum cum expetendo. Sapiebat itaque Libauius Antigramanicus dum scriberet pag. 636: *Dogmatici non sunt adeò dementes, vt si parabiliora & securiora suppetant ex vegetabilibus, animalibus & calore cælesti, mutabilia & admodum suspecta*

mineralia, eaque non sine magno labore & pretio redimenda approbent vsurpentque.

Vt logicus primam rerum distinctionem sumit à specificis differentiis: ita physicus à maxima distantia. Mineralia à nobis distant longissimè, proinde absunt non tantùm logica, sed etiam physica differentia, longius quàm plantæ. Cùm igitur suppetant ad manum tot plantæ & animalia, cur itur in viscera terræ, vt tantò cum labore mineralia cathartica perquirantur? Hæc Riolanus: quæ valdè consentiunt cum sententia Libauii Antigramanici nouissimè transcripta. Riolanus, inquam, qui ne somnians quidem hæc cogitauit: *Chymici auctore Riolano faciunt quintas essentias, quæ non sunt in mundi medio.* Libauii proprium est imponere, mentiri, conuitiari. Scripsi materiam essentiæ mineralis latere in mundi medio, nostrorum verò remediorum in superficie terræ.

x abhorrent disproportionantur

An nutrire possint quæ nunquam vixerunt.

HÆc quæstio copiosè disputata fuit aduersus Bracinetũ, qui idem quod tu, obiiciebat, Aquam scilicet nutrire quæ nunquam vixit, aëre reparari spiritus. Cui respondi partes tantùm solidas verè & propriè nutriri: Aquam verò non nutrire, quia similis est sero, fluida constat substantia, quæ nihil habet pinguedinis, cuius causâ affigi possit. Præter Hippocratis, Aristotelis & Galeni auctoritates, plurima

propoſui argumenta Antharneti pag. 73. & pag. 141. Cur non ſoluiſti, priuſquam ſtadium quod infeliciter illi decurrerunt, recurreres? Aut cur gladiis non pugnas acutioribus? Placet, quam tum attigi demõſtrationem, paulo fuſius explicare. Aſſimilari non poteſt viuenti, quod nunquam vixit: quia non poteſt fieri actu viuens niſi ex potentia viuente: Potentia autem viuere dicitur, cui ineſt appetitus & veluti inchoatio vitæ, ſi malis, propenſio naturalis ad vitam (ita enim docti potentiam interpretantur) atqui lapides & metalla, dum naturam ſeruarent integram, nullam habebant ad vitam inclinationem. Non appetebant viuere, quia hoc feciſſent præter naturæ inſtitutum: Vnde igitur illis diſſolutis iſta appetitio? vnde naturalis iſta ad vitam propenſio? Obiicis mel nutrire quod nunquam vixit: Reſpondeo fieri ex his quæ vixerunt, retinereque ex illis vitæ primordia: ſic mel aëreum quod fit ex concreto rore, ab arbore, cui innaſcitur, accipit vitæ rudimentum. Ariſtoteles docuit vnico elemento nihil generari aut nutriri poſſe: Quæ nos circumſtant impura & alieni contagione infecta, non potius nutriũt. Sunt enim elementa mixtorum communis materia, ad omnes peræque formas affecta: ſed cum mixtione definitur, & præſentia nouæ formæ in certam rerum ſpeciem materia illa adducitur, deponit iſtam potentiam indefinitam, neque poteſt amplius in aliam ſpeciem permutari.

Si similibus sanitas seruanda sit: morbi contrarijs depellendi.

Contentio puerilis est de contrarijs & similibus, &c. In medendo primum est vt dignoscas, deinde vt cures. Inueniendum autem remedium quod conueniat morbo depellendo: Indicatio prima sumitur à morbo, qui hoc ipso quod naturam lædit, se depellendum indicat. Quali remedio? Simili-ne an contrario? Non agit simile in simile: sed quicquid patitur à contrario patiatur necesse est. Quærendum igitur contrarium. In hoc consistit curatricis medicinæ primum principium: remedium enim non est nomen absolutum, sed refertur ad suum contrarium, nempè morbum, finirique potest illo tanquam correlato, depellendi morbi instrumentum. Vnum & idem potest referri ad seruandam sanitatem & ad eandem restituendam: verùm seruabit sanitatem vt alimentum, dum substantia sua vires restaurabit, restituet verò vt medicamentum, dum aliqua qualitate, vt frigore, toti vel parti alicui calidiori temperiem & sanitatem restituet. Ponamus, ὑγιεινὸν Socrati cui sit iecur calidius, præscribere artem seruandæ sanitatis; duos habebit scopos: aut intemperiem illam naturalem, quæ non longè à mediocritate recessit, conseruare, aut si absit longius, corrigere & ad temperiem reducere. Priorem scopum vsu similium consequetur, posterio-

sterioremvsu contrariorum. Quid si intemperies illa fuerit morbosa, & actionem manifestè lædat? Nónne Therapeutes potius quàm ὑγιεινὸς contraria præscribet? Non est ergo puerile hoc Hippocratis theorema: Contrariorum contraria debere esse remedia. Non est puerilis demonstratio huius axiomatis apud Galenum lib. de Constitutione artis: sed puerile est existimare in medendo parum referre, si simile an contrarium remedium deligatur: nō enim à Pharmacia tantùm, sed etiam à diæta, (seu rerum nō naturalium vsu) dependet morborum depulsio: sit καυσουμένῳ præscribendus aër, est-ne puerile dubitare, si similis an contrarius conueniat morbo depellendo? Existimas ne puerile dubitare quis potus illi conueniat, calfaciens an refrigerans? Vnus ex tuis clientibus (scis quem velim) Chymico subnixus principio de viuis ægrum sustulit, puerile erat nō cogitare, simili-ne an contrario esset æger percurādus. Hic erat status totius accusationis: Cur non excusas? Cæterum nolo mihi deinceps rem esse cum Quercetano: quia inueni, quem quærebam, athletam robustiorē. Vtinam Aristoteleæ, hoc est, veræ & solidæ philosophiæ peritiorem: non esset mihi toties aduersus negantem principia disputandum.

Egóne scripsi integra esse præferenda? Non memini. Damus enim sæpius infusa vel decocta, sed scripsi à nobis infundi & coqui totam substantiam remediorum tam alterantium quàm purgantium, vt cum forma & temperie

naturales facultates tam manifestas quam occultas melius in liquorem transumanus; quod non posſitis de veſtris eſſentiis polliceri, quorum materiam corrumpitis, cum materia crasim, cum craſi naturales facultates. Vtar tuis verbis, Laceratis mixta vt inde tria arcana Chymica producatis ope Vulcani, qui eſſentias internas euocet, & veluti lictor dominis tradat. Hoc eſt vnum ex capitibus præcipuis noſtræ diſſenſionis: proinde paulo fuſius nobis demonſtrandum.

Quod Ariſtoteles ſcripſit de anima, verius de natura ſeu forma corporis ſimilaris dici poteſt: Forma phyſica eſt in toto & in qualibet parte tota, temperies corporis ſimilaris, æqualis eſt in toto & in qualibet eius parte: naturalis ſpiritus fixus, (quem vos quæritis non influentem) non eſt potius in hac quàm in illa parte; ſed per totum corpus æqualiter diffuſus. Atqui vt illum extrahatis, materiam totam corrumpitis, quaſi ille certa in parte reſideat, cum materia craſim, cum craſi formam & ſpiritum. ergo vos eſtis naturæ hoſtes & deſtructores. Alchymiæ naturalis ſimilitudo miſerum eſt perfugium: Quia anima coquit miniſterio caloris moderati, cuius ſolius eſt generare & genitū conſeruare: cuius ſolius eſt heterogenea ſeparare & homogenea in vnum cogere. Adde quòd Alchymia naturæ ſit in inſtrumentis animatis, vt in ventriculi & iecoris officinis, quæ extracto vim ſuam, temperiem, calorem & ſpiritum naturalem

impertiunt: quinetiam fit tandem naturæ beneficio ex mortuo viuens, exinanimato animatum. Dant illi nouam formam & priore longè meliorem, qualem vos calore immoderato dare non potestis, neque datam à natura efficere meliorem. Vnde ergo, dices tanta vis & energia chymicis extractis? Dicam paucis: Ab externo non interno principio, ab igne febrili, non naturali, à corruptore, non conseruatore.

Ad pag. 35.

Quamquam sit abundè demõstratum exemplo infusi Rhei & decoctæ sennæ nos tam manifestas quàm occultas qualitates calore blando in liquorem allicere, idque quotidiana experientia & effectis confirmetur, quæ suam causam necessariò demonstrant, placet tamen ex tuis obiectionibus idem declarare. Assatione, inquis, non elicitur, sed retinetur succus, verùm hoc, quia calor densat poros: Sed essentiæ mineralis extractio non est similis assationi, sed vstioni: calore sicco assantur carnes, sed moderato, qui si fuerit vehementior torret, vrit. Huic calori similis est Vulcanus essentiarum mineralium extractor: Proinde vrit, corrumpit, non assat. Assatio & elixatio sunt effectus moderati caloris, elixatio humidi, assatio sicci. Proinde, vt dixi, similes estis malis coquis, qui non assant, sed torrent, vrunt, corrumpunt carnes.

Obiicis deinde accidens non migrare de ſubiecto in ſubiectum; proinde alterandi & purgādi vires non poſſe euocari nudas in liquorē, ſed cum aliquo effluuio. Idem obiecit Baucinetus; cui reſpondi quaſdam qualitates de ſubiecto in ſubiectum migrare poſſe, vt ſcientiam à doctore in diſcipulum, Imaginem ab obiecto in ſpeculum; imò à carbone ardente videtur calor ad obiectum quamuis diſiunctum ſine effluuio deferri intermedio aëre: Qui enim contiguus eſt, incaleſcit, deinde conſecutione ad rem vſque obiectam fertur calor, ſine carbonis ſpiritu.

Exercuit viros doctos nobilis iſta quæſtio, Si alteratione ſola ſeu qualitatis nuda & ſimplici tranſmiſſione vis agentis excipiatur à patiente, an cum effluuio aliquo, vt ἀπόχρισει, expiratione, ſpiritu. Fracaſtorius libro de ſympathia hanc quæſtionem diſputauit, ſed doctis non ſatisfecit. Audiamus quam ſententiam de tanta quæſtione tuleris, Panaceæ pag. 75. *Vitrum antimonij coctione & maceratione deponit quidem purgantem vim in liquorem, ſed ipſum nihil perdit. Qui fieri hoc poteſt, dicet aliquis? Reſpondes: Efficacia alteratiua id fieri iudicandum eſt, quanquam aliqui etiam ſpirituum quid communicari exiſtimēt.* Quàm diſſimilis eſt iſte Libauius ab Antiriolanico! Cæterùm liquorem quo vis medicamenti purgatrix aut alteratrix excipitur, aſſimilaui materiæ primæ, propter eam quam habere debet recipiendi potentiam, cuius cauſa debet eſſe expers omnis alienæ qualitatis. Idem dici po-

test de oleo, quod infusorum & decoctorum vim & temperiem facile recipit, quia ἄποιον

Medici debent Hippocrati artem benè medendi: Primus enim scripto quod extet, tradidit communes regulas, quibus optimè institutus vix falli potest. Galenus doctissimis commentariis tenebras discussit; sine quibus doctrina reip. vsque adeo necessaria sepulta iacuisset. Arabes hanc doctrinam excoluerunt, & nouis remediis illustrarunt, quæ posteritas approbauit, & ad vsum familiarem reuocauit: quia essent naturæ magis amica & familiaria, quàm vehementiora illa, quibus meliorum inopia Hippocrates vti cogebatur: ne diu fruamur tanto beneficio, sufficitis in eorum locum essentias minerales, catharticis, quibus Hippocrates vti cogebatur, longè vehementiores. Hoccine est de republica benè mereri, & sanitatem ciuium procurare?

SEQVVNTVR LAVDES ALCHYMIÆ.

Ad pag. 36.

ADeste physici, medici, sophi, vt audiatis encomiasten, qui animi & exercitationis potius quàm veritatis causâ vituperauit hactenus laudanda, nunc laudat vituperanda. Schola Parisiensis non damnat præparationes chymicas (quanquam suas malit) sed quartam

fectam principiis, caufis, fignis & remediis ab Hippocratica differentem. Ille hanc fectam nō laudat, fed quas non damnat, chymicas præparationes, ad cœlum extollit. Singula encomia ego quoque animi & exercitationis caufa vocabo ad examen rationis, vt intelligatur tam malam caufam opus habuiffe meliore pattono. Ecce prima laus:

Chymica magis profunt apoplexiæ, epilepfiæ, fyncopæ & hyftericæ fuffocationi. Faciamus apoplexiam aut epilepfiam effe à fanguine, qualem in diffectis non femel obferuaui; quis erit vfus veftrorum fpirituum. Sola fpes in venæ fectione, fi non iuuerit, non eft ab vllo alio remedio fperandum auxilium. Confertne etiam pituitofæ? Confert quidem, non ratione morbi, fed caufæ antecedentis, nempe repletionis, quæ nullo tam prompto remedio depleti poteft. Effentiæ veftræ occurrunt quidem fymptomatis, vt animi deliquiis & hyftericis fuffocationibus, fed non tollunt morbum, neque morbi caufam. Vera autem curatio confiftit in remotione caufæ, quam ex præceptis & remediis dogmaticorum potius fperare debent ægri. Hyftericis qui iniiciuntur clyfteres, putida quæ naribus, odorata, quæ hypogaftrio & pudendis admouentur, vt ambra zibetum, mofcum, cucurbitula quæ retrahit vterum, funt ne chymica remedia? Verùm his paucis morborum accidentib. conueniant, pluribus tamen nocent: quia pauci funt magni morbi fine febre, pauci fine aliqua partis ali-

cuius aut totius inflammatione,quibus nocent veſtræ eſſentiæ.

Sequitur ſecundum encomium ; *Quod ſint ſua fæce repurgata.* Imò infuſa & decocta noſtra, vt apozemata, ita dicam, clarificata,ſunt puriora : vos enim ſpoliatis mixta proprio corpore, vt veſtiatis alieno. Proiicitis homogenea vt ſufficiatis heterogenea ; ſpiritum vitrioli diluitis multa aqua, ac ſi naturalem pedem amputaretis, vt ligneum in illius locum reponeretis.

Audite tertium encomium: *Chymia ſuggerit meliora diætetica.* Qualia ? Nam eſt diæta ſanorum,eſt & ægrorum propria: Illa non eget præparatione chymica: quia oportet patiens analogum eſſe agenti, calor ſanorum requirit alimentum quod reſiſtat : diæta verò ægrorum non tantum conſiſtit in cibi & potus,ſed in cæterarum rerum non naturalium moderatione. Quis aër conuenientior, ſi expediat ægrum vigilare, an dormire, quod genus exercitii ſit aptius depellendo morbo, quæ perturbationes fugiendæ, quæ excernenda vel retinenda, vt ſi menſes vel hæmorrhoides ſiſti debeant, vel prouocari : quæ non præſcribet chymicus,niſi ea arte & methodo,quam docuerũt Hippocrates & Galenus, eorumque diſcipuli Græci, Arabes & Latini. Potus ægrorum vt aqua decoctionis hordei, graminis, acetoſæ, Aëtii potus diuinus in morbis calidis cùm refrigerandum. aut hydromel, boucetum, orge chiendent oseille.

aqua decoctionis coriandri vel cynamomi, vinum in morbis frigidis & flatulentis, non eſt chymicum remedium: quia principiis chymiæ contrarium, quæ curat ſimilibus. Aqua carnium expreſſa, conſummata, gelatina, non ſunt chymicorum inuenta: quibus tamen omnibus vt & deſtillatis reſtauratiuis, iuſcula carnium facilè prætulerim. Non tantùm quia celerius diſtribuuntur, ſed etiam quia herbis propriis & morbo conuenientibus alterata, præbent in alimento medicamẽtum: ergo dogmatici veſtra diæta facilè poſſunt carere: Vos non poteſtis benè & ex arte mederi ignoratis Hippoctaticæ diætæ ſingularibus præceptis

Sequitur quartum encomium: *Sunt palato gratiora.* An etiam naturæ? Veneficus de venenis ſaporem & odorem ingratum tollit, vt fallat incautos, nec fraus tam facilè detegatur: Proinde eodem encomio venenatas ſuas eſſentias poteſt commẽdare, quæ tamen acquirunt igne cum vehementia promptitudinem nocẽdi. Neſcio ſi manna, caſſia, thamarindi, myrobalani conditi, palato ſint ingratiora veſtris extractis: in quibus hoc ſolùm agnoſco commẽdabile quod parua doſi multum poſſint. Verùm, vt ait Libauius Antigramanicus, *In pauco ſæpè magna noxa:* Deteriora ſunt venena quæ minori quantitate interficiunt. Quòd ſi metalla ſint venenata, habeãtque potiſſimum in ſpiritu venenum, quo erunt ſpiritualiora, eò funeſtiora.

Sequitur quintum encomium: *Floruit olim*

Alchymia apud principes. Floruerit chryſopœa, an chymiatrice? Floruerit præparatoria, an quarta ſecta? Verùm floruerit; hæc laus communis eſt Hippocraticæ medicinæ. Auicenna, qui à vobis inter chymicos refertur, fuit princeps, Hippocratis & Galeni ſectator, à quarta ſecta alieniſſimus. Plura Raſis, Meſueus, Fernelius, Hollerius, Syluius ex Hippocratica medicina quàm ex chymica in ſua ſcripta retulerunt, ſiue theoriam ſpectes, ſiue praxim medendi.

Claudis encomium hoc inſigni elogio, quod ſint actiuiora, an propterea meliora? An quia febrilis calor eſt actuoſior naturali, idcirco melior & optatior? Præſtatne febris ardens diariæ, eo quòd ſit vehementior? Natura vt in tẽperie eſſentiam habet; ita exuperantia omni corrumpitur. Enimuerò ſi auctore Libauio vehemens calor corrumpit, ſolus moderatus cõſeruat, cur chymica à vehementia & actiuitate commendantur, noſtriſque benignis & moderatis præſtantiora iudicantur?

Concluditur vno ſyllogiſmo dogmaticorum medicinam præſtare quartæ ſectæ.

QVanquam res ipſa per ſe ſatis loquatur, neque egeſat patrono Hippocraticæ medicinæ veritas, ipſa ſuo candore ſatis commendabilis: quia tamen chymicis fumis denigratur, placet vnico ſyllogiſmo fumos iſtos diſſipare. Medicorum ſecta præſtantior iudicari de-

bet, quæ nititur principiis & morborum causis verioribus: signis tam morborum quàm remediorum minus fallacibus, remediis naturæ familiarioribus. Atqui dogmaticorum secta eiusmodi est. Demonstro: Principia physica definiuntur, quæ neque ex aliis fiunt, neque ex se inuicem, sed ex his omnia. Calidum, humidum, frigidum, siccum neque fiunt ex aliis, quia sunt prima & simplicissima sensibilia: materia enim & forma quibus constant, intelliguntur, non sentiuntur, imò ratione spuria & similitudine tantùm rerum artificialium materia prima intelligitur. Hæc principia non fiunt ex se inuicem, quia neque calidum ex frigido, nec frigidum ex calido: quamuis subiectum de calore mutetur in frigus: sed ex his omnia. Principia quartæ sectæ, sal, sulphur & mercurius fiunt ex aliis, quia mixta, fiunt ex se inuicem, quia ex sale sulphur, neque ex his omnia, quia nemo prudens prima & simplicissima corpora, cœlum & elementa dixerit ex mixtis constituta. Itaque veriora sunt dogmaticorum quàm chymicorum principia: imò verò chymica, quia mixta, principia propriè dici non possunt.

Causæ morborum quæ à dogmaticis constituuntur, veriores sunt, quàm quæ à chymicis: pugnare enim ratione contra sensum non est hominis prudentis. Atqui sensus manifestè demonstrat quosdam morbos fieri à sanguine, vt phlegmonem & synochum putrem:

alios à bile, vt eryſipelas & cauſum : Quare non poſſunt carere reprehenſione, qui nouas & ſenſibus ignotas morborum cauſas introducunt.

Signa partis afflictæ, cauſæ morbificæ & morbi tam diagnoſtica quàm prognoſtica ſapientum omnium conſenſu nemo vnquam doctius quàm Hippocrates & illius interpres Galenus explicarunt. Signa quibus remediorũ vires & qualitates dignoſcantur potius à ſapore & odore deſumenda quàm à ſignatura phyſiognomica nemo prudens negauerit.

Remedia verò præſtantiora iudicari debent quæ cum cauſa morbum, cum morbo tollunt ſymptomata, cuiuſmodi ſunt cathartica. Atqui illa quæ nobis ſunt in vſu familiari, & quæ debentur Arabibus accepta : quia benigniora & naturæ noſtræ familiariora chymicis extractis præſertim mineralibus, quæ inſtar venenorum auctore Libauio Antigramanico naturam conturbant, ſunt præſtantiora.

Hæc poſſunt ſufficere ad confirmandum ſcholæ decretum, quo quarta illa medicinæ ſecta reprobatur, quæ nouis principiis, cauſis, ſignis, & remediis Hippocratis doctrinam funditùs euertit: non illa medicatrix Alchymia quæ ſeruátis Hippocratis & Galeni de medendo ſalutaribus præceptis pharmaceuticem nouis quibuſdam præparationibus adauxit. Cum enim ſchola ſua, hoc eſt, veteribus vſitata remedia iudicat meliora, non excludit chymica. Imò ita tibi potius fuit

ratiocinandum: Comparatio fieri debet inter res eiusdem generis: Parisiensis schola sua remedia chymicis meliora esse iudicat: ergo chymica iudicat esse bona. Hæc, inquam, quæ præcesserunt, possunt esse satis ad censuram scholæ confirmandam: satis ad probandum te obliquè non directè disputare, quia non ad mentem respondentis, qui tuis clienribus nomine totius scholæ centies significauit, non damnari chymicas præparationes, dummodo cum illis feruetur Hippocratis medicina: sed quartam sectam à Paracelso, hoc est, à Diabolo aliquo introductam in ruinam generis humani, à Quercetano duobus libris, & ab Harueto nouissimè defensam odio prosequi plusquam Vatiniano. Pergam nihilominus singulis tuis obiectionibus paucis respondere.

Ad pag. 38.

Disputatum est, si chymica remedia dogmaticis idcirco essent postponenda, quia cariora, quia minus tuta: minus tuta, inquam, quia minima dosi etiam cum violentia operantur, non aliter quàm venena: ideo enim in eorum vsu facilè peccatur, quod si vel dimidio grano dosis superetur, æger in vitæ discrimen coniicitur: à nostris catharticis non imminet tantum periculum, etiamsi in dosi fuerit peccatum. Repetis disputationem de pretio, quod scripsi vestrorum maius esse debere: primò quia sit longior & operosior eorum confectio: secundò, quia ex vna libra materialium vix vna dragma spiritus elicitur. In enunciato illo si pecca-

Vno plus puncto cecidit martin, a sello. mettre sa santé et sa vie dans un trebuschet.

tum sit, Dornesii & Libauii Antigramanici peccatum est, non Riolani. Si bono publico consultum vultis, docete in vna dragma spiritus tantùm virium inesse, quãtum in dimidia plus minus libra materiæ: estne verisimile in vna dragma spiritus coralli tantam esse vim astringendi, quanta est in libra coralli? Præsertim cùm terrestris siccitas ad restrictionem requiratur.

Ad pag. 40.

Tota hac pagina nihil obiicitur ad mentem respondentis, quia non reiicit remedia chymica, sed dogmatica præferenda esse contendit, comparando decoctum cùm destillato, infusum cum extracto. De infuso quæ fuerit Libauii Antigramanici sententia nouissimè explicatum est. Ille non tantùm extractis omnibus anteponit, sed etiã cæteras præparationes nihil esse quã corruptiones, si infusioni cõparentur existimat. De destillatis verò quid ille idem senserit, audiatur, *Iudicent sapientes*, inquit ille, Antigramaniæ pag. 340. *Possitne id esse rei essentia, quod corruptione prioris genitum est. Destillatio aquas elicit potentia existentes: non enim fit secretio vt in lacte, sed transmutatio in vapores & aërem spirituosum. Ex hac secunda transmutatione redeunt in aquas vel olea. Hoccine est essentias educere?* Possuntne afferri certiora argumenta quàm quæ veritas ab aduersario extorquet? Potestne aduersarius melius quàm ore proprio conuinci?

Quod verè cathartica purgent cum delectu: propter eam quam habent cum humore purgando substantiæ similitudinem, non promiscuè quosuis humores excretrice irritatâ.

DEiectiones non sunt quantitate sed qualitate ęstimandę si quale oportet purgetur, humor qui morbum facit, vacuetur, confert: alioqui auctore Hippocrate nocet: quia cæteri humores ad vitam nõn minus sunt necessarii quàm sanguis. Dogmaticus autem facit delectum remedii purgantis pro varietate causæ morbum cõmittentis: si bilis peccare videatur, deliget cholagogum, si pituita, phlegmagogum. Essentię minerales quemlibet purgant sine delectu: ergo nocent potius quam prosint. Item dogmaticus prout videt ex vsu deligit catharticum benignum, vehemens aut mediocre: contentus est benigno seu ἐκκοπρωτικῷ si humor morbificus in prima regione residere videatur, nec admodum sit rebellis & contumax, præferr vehemens, vt diagrediatum, si in habitu sedem habere videatur, aut copiosior vel contumacior quàm vt à benigno vel mediocri trahi possit, deligit mediocria, quando humor occupat mediam regionem, vehementiora reseruat ad necessitatem, depletis prius clystere aut minoratiuo primis regionibus: quia si laborarẽt naturales istæ partes, haberetque in illis morbus suam sedem, traherent vn-

dique ad partem afflictã & morbum augerent. Atqui essentiæ minerales vndique trahunt potentissimè. ergo quoties latebit causa morbi in prima aut secunda regione corporis : quoties ventriculus, mesenterium, hepar laborabunt, vt sæpissimè laborant, non possunt tutò nec sine manifesto periculo præscribi: vt neq; quoties suspitio est internæ inflammationis. Definitæ purgationis causam Galenus refert ad substantiæ similitudinem, hoc argumento : Qua causa magnes trahit ferrum, eadem catharticum humorem noxium. Atqui magnes trahit ferrum substantiæ similitudine. ergo catharticum eadem causa trahit humorem purgandũ. Magnetis cum ferro similitudinem Cardanus hoc signo demonstrat. Quod si recondatur in scrobibus ferri vt diutius conseruetur, magna ferri portio absorpta videatur. Tibi valde displicet ista magnetis similitudo cum ferro : Primò ne premaris argumento à simili : nam si in extracto magnetis non remanet vis attrahendi ferrum, cur remanebit in mineralibus extractis facultas attractrix humoris peccantis ? Annon potius naturam conturbant, vt venena ; excretricem cacoëthia sua irritando ? Secundò quia similitudo totius substantiæ includit formam cum materia, quam vos corrumpitis essentiarum extractione. Irritatio similis est mala; crisi, quæ fit in principio morbi dum adhuc cruda sunt omnia : Natura enim tum ἐρεθισμῷ, humoris copia grauata, aut eiusdem malitia lacessita, indifferẽter excernit.

Vt ergo cręſis illa à medicis iudicatur mala, quæ fit irritatione; ita purgatio quæ fit à ſimili cauſa artificialis non poteſt iudicari.

Similitudinem cathartici cum humore purgando Conciliator hoc indicio demonſtrauit: Quod ſi benigna, vt caſsia, manna, thamarindi, ſyrupi roſarum aut violarum, &c. fruſtrentur ſuo actu, cedent in alimentum, maligna verò niſi cum humore noxio ſecedant, retenta, non aliter nocent quàm venena: Mediocria verò vt rheum, ſenna & Agaricus, ſi non attrahant humorem, quo cum maiorem habent ſimilitudinem, ab illo attrahentur, & in illius ſubſtantiam conuertentur, quia omne trahens nititur tractum in ſe conuertere, vt viuens alimentū. Memini Ariſtotelem aduerſus Anaximandri principium, quod ille ponebat infinitum, obiicere: Non miſceretur, quia cætera in ſe tranſmutaret: Quandoquidem naturale eſt vt agens potentius, patiens ſibi aſsimilet: ſic ignis aërem in ſe cōuertit, ſi potentior fuerit, viciſsimq; aër ignē. Inde illud apud Galenum. Omne trahens eo fine trahit vt fruatur tracto. Veſicula iſto fine trahit fel, eoque oblectatur, eodem fine liē attrahit limum, renes ſerum: ergo humor peccans propter ſimilitudinem catharticum imbecillius in ſe tranſmutaret. Iſta tamen demōſtratio ex veriſimilibus concludit, non ex neceſſariis: ſenſus enim oſtendit à rhabarbaro bilem primò & definitè vacuari, pituitam ab agarico; Atqui, vt eſt apud Platonem, nihil fit ſine cauſa, etiamſi à nobis ſæpius ignoretur. In

hac

hac rerum caligine quia diuinandum est. Non video ego quæ possit verisimilior causa excogitari sententia Galeni, cui respondet Hippocratis doctrina, qui vtitur hac similitudine. Quemadmodum semen plantæ ingressum terram succum naturæ suæ familiarem attrahit, ita assumpta cathartica humorem peccantem, Atqui semen trahit cõgenerem succum cum delectu propter familiaritatem substantiæ: ergo eadem causa catharticum non quemuis indifferenter attrahit, sed cholagogum bilem, phlegmagogum pituitam.

An crasis maneat in essentiis chymicis.

Physici appellant calidum in cuius mixtione vicit calor, temperatum, in cuius mixtione primæ qualitates æqualiter sunt mixtæ & mutua pugna ad mediocritatem adductæ: Medici verò, qui ad hominis vsum referunt omnia, definiunt calidum, quod hominem nõ quemuis, sed temperatum calefacit, frigidum quod eundem refrigerat: sumus enim nos mensura rerum, quia quod præstat, debet cæteris esse pro regula. Quod à temperie & mediocritate illa recedit, nosque magis vel minus calefacit, magis quoque aut minus calidum appellant. Propterea non fuerunt contenti primis qualitatibus temperamentorum prima genera distinguere, sed etiam certos temperamentorum gradus in singulis generibus constituerunt: Vnde plures species seu differentiæ

temperamentorum emerſerunt. Nam quæ leniter nos calfaciunt primo gradu calida iudicarunt, quæ ſummè quarto: imò vt definitiùs ſingulis morbis propria remedia accommodarent, atque, vt dicitur, ne paruo pedi magnum calceum aptarent, in ſingulis generibus tres ordines conſtituerunt, principium, medium & finem. Nec ſatis illis fuit dixiſſe hoc primo, illud ſecundo gradu calidum, ſed etiam adiecerunt in principio, medio, vel fine primi gradus eſſe calidum. Tantus fuit veterum labor in differentiis temperamentorum diſtinguendis, vt morbus à ſuo contrario facilius vinceretur: contrarium enim appellant Medici, quod à medio diſtat pari gradu: neque enim morbus ad tertium gradum calidus à remedio primo gradu calido expugnaretur.

Atqui in deſtillatis & extractis genus quidem non ſpeciem temperamenti conſeruatis, vt nos infuſione & decoctione: propterea non poſſum non mirari quod ſcribis: *Si chymici natiuum calorem augent, quomodo poſſunt craſim diſsipare?* Nam hoc ipſo quod augent calorem, non ſeruant ſpeciem temperamenti. Quid eſt febris? natiuus calor mutatus in igneum. Quid eſt eſſentia chymica? Natiua mixti eſſentia mutata in igneam. Declaremus hoc familiaribus exemplis: Oleoſus humor, qui à moderatè calidis, vt nuce muſcata, cariophylis & cynamomo extrahitur, ſiue in capitellum ſurſum attrahatur, ſiue in ſubiectum vas defluat, non poteſt

extrahi nisi ignis violentia, eruntque olea hac arte extracta, vehementer si non summè calida: ergo non seruatis crasim mixti in essentiis, sed cùm crasi formam corrumpitis. Disputatio tota hoc syllogismo concludatur. Non seruat temperiem mixti qui ex temperato facit intemperatum, ex leuiter aut mediocriter calfaciente vehementer aut summè calfaciens: Atqui essentiarum extractione ex substantiis temperatis facitis substantias intemperatas, ex mediocriter calfacientibus spiritus vehementer calfacientes: ergo non retinetis temperiem mixti, quàm nos infusione & decoctione integram conseruamus: nam infusum rhei non tantùm conseruat vim definite purgandi bilem (quod est minus credibile) sed eundem temperamenti gradum: est enim ad secundum gradum calidum siccum, non aliter quam rheum integrum. Iuscula lactuca alterata æquè refrigerant ac lactuca ipsa, præsertim, cùm viret & viget, transmittitque in liquorem cum succo temperiem. Oleum terebinthinæ chymicum, quod tu profers in exemplum, auctore Hollerio non est tutum calculosis: malim terebinthinam, quia solet esse coniuncta calculo renum intemperies calida, imò vt plumum phlogosis, si non inflãmatio. Est autẽ calidius quàm vt conueniat affectionibus calidis. Oleum de nuce muscata non chymicum (quanquam chymiæ non imperitus) ad paralysin mirificè commendat Auicenna. Oleum de cynamomo vulgare ad eundem affectum

Valeſcus non putat habere par: Eadem argumenta propoſuerat Haruetus, qui tulerat idem reſponſum; Cur recoquis hanc cramben? Aut non demonſtras calorem à vobis ſeruari in eſſentiis eodem gradu? Neque enim ſatis eſt ſeruare genus temperamenti, ſed ſpecies quoque & maximè propria differentia conſeruanda eſt; alioquin febris retineret temperamentum caloris natiui, nec differret intemperies calida à natiuo & moderato calore partis. Idem quoque obiecerat Baucinetus; cui reſpondi intenſionem & remiſſionem in accidentibus conſtituere ſpecies differentes. Declaraui hoc exemplo prodigalitatis, liberalitatis & auaritiæ, qui omnes habitus conſiſtunt in dando; verùm quia vnus dat plus, alter minus, tertius in eo tenet modum, longè differentes ſpecies conſtituunt. Intenſus calor non tantùm aduerſatur remiſſo, ſed etiam moderato; vtrumque enim corrumpit.

An remedia chymica ſecundis qualitatibus ita nos immutent atque dogmatica.

Ad pag. 43.

HOc argumento demonſtraui noſtra remedia veſtris præſtare: Aut ſunt purgantia aut alterantia. Purgantia præſertim mineralia, quæ ſola ſchola repudiat, etiam Libauio auctore ſunt pernicioſa. Alterantia verò aut immutant nos primâ, ſecundâ aut tertiâ qualitate. Habemus alterantia, quæ prima qualita-

te melius nos immutant, quia temperamentorum gradus, & graduum ordines nostris præparationibus melius retinemus. De secundis qualitatibus idem ferri potest iudicium, quia dependent ex primis in materiam immersis. Sit emolliendum membrum quod induruit, decocto plantarum remollientium, mucagine aut magmate, certius hoc consequemur quàm vos vllo chymico; magisque emolliunt non tantùm vnguenta & emplastra emolliẽtia, quæ prostant in officinis quamplurima, sed etiam olea, medullæ, axungiæ. Quod si membrum tensum videatur relaxandum, habent dogmatici relaxantia meliora. Sit astringendum; non dubito quin habeant chymici multa astringentia, sed quæ non sint cum dogmaticorũ astringentibus comparanda: quia terrestris substantia ad astrictionem necessaria est. Bolus armena, terra sigillata, corallum magis astringunt, quàm vlla chymica. Testes appello chirurgos, si experti sint vnquam vllo chymico tam benè sisti fluxiones, & laxiores vias constringi, quàm bolo cum albumine agitato. Habent-ne melius emplasticum? Siue igitur quod contra naturam retinetur, vacuandum sit, siue restringendum quod sine modo fluit (quæ sunt duo prima & communissima medentis officia) Habent dogmatici ad vtrumque scopum remedia vestris potiora.

Pag. 43.

Qua fronte ausus es Censor scribere spiritus nostros igneos, serosos humores tollere, crassos & obstruentes re-

linquere? Mesueus ca. de Melãcholia hypochondriaca monet in hoc affectu abstinẽdũ à catharticis vehementioribus, quia sunt ignea: vt enim ignis, inquit, prius vrit paleam quàm tignum, suamque vim exerit citius in subiectum aptius pati: ita cathartica vehementiora, quia sunt ignea tenues primùm & serosos humores trahunt, vtpote sequi paratiores relictis crassis. Huius sententiæ nominaui illum auctorem, cur inueheris in Riolanum? Non es ausus Mesueo maledicere, quia est chymicus. Mirum est quod nunquam à certamine recedis nisi relicto aculeo. Nunquam ne depones veterem istam maledicendi consuetudinem? Non spero, quia iam transiit in naturam. Annosa vulpes mutat pellem, non mores.

An chymica remedia tertijs qualitatib. ita nos immutent ac dogmatica.

Ad pag. 34.

Remedia vel oppugnant morbos manifestis vel occultis qualitatibus. Appello manifestas primas vel secundas, quarum causa est euidens; piper enim calefacit, quia temperamento est calidum; vicit calor in illius mixtione, de quibus adhuc transegimus. Occultæ verò dicuntur, quarum effectus patet sensui, verùm causa ignoratur. Experientia docuit rhabarbarum primo & definite purgare bilem, de causa dubitatur. Dogmaticos melius purgare, quia definitius, nouissimè do-

cuimus : non enim quemuis indifferenter, ſed peccantem, primò vacuant, cæteros conſecutione ſeu fuga vacui. Ad occultas qualitates pertinent venena, quæ quo ſpiritualiora, eo deteriora, quia efficaciora. Hanc prærogatiuam ſpagiriæ facile concedimus. Huc quoque pertinent, quæ ſubſtantiæ quadam ſimilitudine cum ſingulis partibus conſentiunt, vnde nomen acceperunt. Quæ conſentiunt lieni, ſplenica, quæ hepati hepatica, quæ cerebro cephalica. Non dixeris cur betonica plus habeat ſimilitudinis cum cerebro, quàm cum liene aut iecore. Hoc experientia longa maiores noſtri obſeruarunt, cauſamque in ſubſtantiæ ſimilitudinem retulerunt, quam nos decoctis & infuſis melius quàm vos extractis aut deſtillatis, conſeruamus. Ad hoc etiam genus qualitatum pertinent, quæ certis morbis proprietate quadam reſiſtunt, vnde epileptica, nephritica, arthritica cynancica nominantur. Hæc ſubſtantiæ, inexplicabili diſſidio aduerſantur morbo: Vt vngula Alces, cranium humanum, viſcum quernum, ſtercus pauonum, pœonia, epilepſiæ ; de quibus qui materiam ſepararit, ſpecificum ſimul ſuſtulerit : quia reſiſtũt morbo totius ſubſtantiæ contrarietate inexplicabili. Qui dicit totam ſubſtantiam cum forma includit materiam quam vos corrumpitis vt deliteſcentem in illius ſinu eſſentiam (ſi Diis placet) eruatis.

Examinis pars secunda, qua defenduntur à Libauio tria principia chymica, in Antigramania olim ab eodem animosè, fortiterque expugnata.

QVæ præcesserunt encomia Alchymiæ præparatricis, parergωs præmissa sunt: quia patronus probauit quod non est ab aduersariis negatum, laudauit quod non est vituperatum: nunc ad rem ipsam aggreditur. estote attenti. Ars noua medendi à Paracelso introducta, à Quercetano & Harueto defensa, cuius principia Hippocratis doctrinam funditus subuertunt, à Libauio propugnatur, qui Antigramaniæ pag. 729. promittit sanctè & iurat se à veteris medicinæ principiis ne latum vnguem vnquam discessurum; qui tria illa quartæ sectæ principia eodem libro caduca, putida, falsa, anilia, phantastica, impia nominauit; qui putat eos desipere, qui illa constitutionis aut nutritionis ponunt esse principia: qui sæpè accusat Paracelsum & illius discipulos, quod cũ constituerent illa tria vt constitutionis, ita nutritionis principia: nos tamen solo mercurio nutriri existimarent, prima coctione sulphur, secunda salem separari. Audebo-ne etiam inserere quod ille aduersus Gramanum Paracelsicum, istorum principiorum defensorem acerrimum euomuit? Audebo, quanquam animus meminisse horret, vt intelligatur quo animo ad principia tam peruersæ doctrinæ defen-

denda accesserit, contradicendi scilicet & vincendi studio, non inquirendi veri. Audiatur: *Qui artis medicæ ab initio mundi vsque huc comprobata principia interna repudiat, & exotica quærit, is ab arte tantùm abest, quantum ab eius principijs: quãtoque pertinacius in exoticis hæret.* *Assume*, inquit, Assumo: Atqui Libauius artis medicæ ab initio mundi vsque huc comprobata principia interna repudiat & exotica quærit. In locum principiorum Aristotelis & Hippocratis, chymica substituere conatur, quæ alias caduca, purida, falsa, anilia, phantastica & impia esse affirmauit. *Conclude*, inquit; Concludo. ergo Libauius à vera medendi arte abest lõgissimè. Subiungit: *Vnde consectaria illa pulchrè emergent, nempe quòd vt immundus canis, & amica luto sus, aut anguis & vipera, sacrario medico sis arcendus.* Gramanus à Libauio quòd tria Paracelsi principia approbarit, vipera, sus, canis iudicatur; Libauius Antiriolanicus, qui nũc personam induit Gramani, qui eãdem causam, eademque principia defendit, quidni iisdem honorabitur titulis? Cum renuntiaretur Alexandro Philippum cœpisse quidem Olynthum, sed solo adæquasse; quando, inquit, talem ciuitatem ædificabit? Facile est demoliri, sed cõstruere difficillimum. Libauius Hippocraticæ medicinæ & Peripateticæ philosophiæ fundamenta conatur destruere, vt totam artem subuertat; quando talem ædificabit? quando iaciet tam solida fundamenta? Verùm quibus machinis diruantur, expendamus: etiamsi Aristoteles

non putet esse sapientis, curare quid quisque dicat. Libauimaniam exorditur à reprehensione trium principiorum Aristotelis: quia his positis & concessis ruunt Paracelsica: nam si sit materia quædam prima, primarum & simplicissimarum qualitatum primum subjectũ, aut nihil erit prius, aut falso ista absolutè prima nuncupantur.

Rerum naturalium tria principia ab Aristotele constituta, à Libauimania defenduntur.

SVmmus ille & mirabilis opifex vniuersi generationis rerum sublunarium hunc ordinem instituit, vt non ex vno solo principio, sed ex pluribus, iisque contrariis fierent sublunaria omnia: mutatio enim omnis à contrario est: quicquid patitur à contrario patiatur necesse est: quia non agit simile in simile. Nisi res sublunares constarent principiis contrariis, perstarent in eodem statu non minus quàm cœlum & astra; neque mutarentur assiduè. Voluit autem Deus mutari nihilque esse sub luna sempiternum. In eum finem Aristoteles existimat non tantùm contrarietatem adjunctam elementari mundo, sed etiam dedisse cœlo contrarios motus; vnum ab ortu in occasum, quo firmamentum quotidie rapit secum inferiores orbes; Alterum ab occasu in ortum, qui est proprius planetarum. Timæus motum planetarum valdè dissimilem existi-

mat esse causam naturæ vsque adeò dissimilis. Doctius me iudice Aristoteles contrarios quos dixi motus efficientes mutationis in inferiori, mundo existimauit. Prima contraria sunt primæ qualitates primorũ & simplicissimorum corporum. Calor ignis, frigus aquæ, humor aëris, siccitas terræ, quæ transmutantur, aguntque vicissim & repatiuntur in communi subiecto, de quo veluti de communi possessione decertant. Si fortè calor vicerit, exurget inde mixtum temperamento calidum, si frigus calorem superarit, orietur mixtum temperamento frigidum: talia enim dicuntur mixta à victoria & dominatu primæ qualitatis. Commune illud subiectum primorum contrariorum Aristoteles materiam primam appellauit, neque melius potuit materiam primam definire, eiusque vim & naturam ob oculos ponere, quàm quod primis elementarium qualitatum transmutationibus subest: sunt enim accidentia. neque possunt mutari aut subsistere sine aliquo subiecto. Hoc primum primarum qualitatum subiectum materiam primam appellauit, quæ nulli certæ formæ addicta: omnium tamen vicissim excipiendarum est capax, non aliter quàm tabula nuda quarumlibet impressionum, aut mens notionum. Pone tibi ob oculos materiæ sublunaris quamuis portionem, Illam incalescere & refrigescere, humescere vicissim & siccessere ipso sensu obseruabis, omnesque contrarietates tam facilè admittet,

vt nulli esse definitè alligatam inde certò constare possit, sed ad omnes peræquè affectam, naturam habere indefinitam, non certa qualitate aut forma terminatam. Hæc potentia Aristotelem induxit, vt illi comitem priuationem adiungeret: est enim per se, naturaque sua informis; quia nulli addicta formæ, vt cœlum, omnium tamen peræque capax. Vtrumque vno priuationis nomine simul inclusit, absentiam scilicet formæ introducendæ, ne prius sit res quàm fieri incipiat, potentiam tamen illius excipiẽdæ, quia non fit quodlibet ex quolibet, sed ex determinato determinatum; præire debet generationem ἐπιτηδειότης, aptitudo materiæ, præparatio, inclinatio quædam ad formam. Hinc patet materiam non aduersari formæ per se; sed ratione annexæ priuationis, videlicet quòd sit informis atque ideò deformis, forma autem sit μορφή, pulchritudo & perfectio rei, nam quicquid habent res naturæ pulchritudinis & perfectionis, id totum acceptum debent formæ: materia illam appetit, vt res turpis pulchritudinem. Substantia igitur non aduersatur substantiæ qua substantia est, sed quia talis, vtpote deformis. Sic ignis repugnat aquæ, non ratione suæ substantiæ, sed qualitatis, sic quantitas aduersatur quantitati (vt linea lineæ) non quia quanta, sed quia talis, vna recta, altera obliqua: Quibus ita cõstitutis tuæ vanescunt obiectiũculæ. *Aristoteles*, inquis, *ponit corpus esse principium & contrarietates. hoc autem quî fieri potest, nisi confundat prædicamen-*

ta duo & substantiæ dicantur in [illegible] *contrariæ?* Primò falsum est materiam primam esse corpus: quia concipienda est informis: secundò non aduersatur formæ per se, sed ratione priuationis. Hæc cùm sint tyronibus notissima, tamen quasi victor redeas à certamine. *Reuera,* inquis, *principia Aristotelis sunt phantasmata speculantiũ, aut notiones rationales generalissimæ.* Plutarchus præuidebat exorituros sophistas tibi similes, qui sola freti audacia & temeritate reprehenderent, quòd propter animi imbecillitatem intelligere non possunt. Qui Aristotelis doctrinam reprehendunt, inquit, etiamsi dicant probabilia, tamen propter reprehendẽdi audaciam à scholis philosophorum excludantur, iudicentur indigni philosophi titulo. His solis Aristoteles placet, qui in illius doctrina diu multumque versati sunt. Libauiis, qui superficie tenus illius delicias libarũt, qui corticem tantùm, non medullam attigerunt, qui primis tantùm labris illius nectar gustauerunt, quid mirum si displiceat?

An tria principia chymica sint in cœlo.

Nomen principii sali, sulphuri & mercurio malè attribui, demonstratum est argumento sumpto à definitione principii: quia fiunt ex aliis, cùm sint mixta: fiunt ex se inuicem, quia sulphur ex sale, neque ex his omnia: quia non est verisimile elementa fieri ex elementatis: multo minus cœlum quod est

corpus primum & ſimpliciſſimum. Quidni, inquis, ſunt in cœlo, cùm πανσπερμία ſit in ſole? Dignus hoc reſponſo qui pereas fumo ſumiuendule, tu te ſcripto publico profeſſus es Paracelſicorum capitalem hoſtẽ, ſcripſiſti non videri tibi ſapere qui iſta principia in cœlo poneret: tamen aduerſus ſcholam dogmaticam, Hippocraticæ familiæ alumnos, defendis hominem, qui te auctore mauult eſſe Paracelſicus quàm Galenicus. Vt illius paradoxa defendas, coniicis te in laqueos è quibus nunquam te expedies. Ariſtoteles docet cœlum non admittere elementares naturas, cùm docet Solẽ non nutriri expirationibus, quas ipſe ſuſcitat è terris: vapor enim conſiſtit in media, exhalatio in ſumma aëris regione, ex quibus illic fiunt meteora, ignea, aërea, & aquea. Sunt quidem in ſole omnia: verùm, vt loquitur B. Thomas, cauſaliter: Ariſtoteles δυνάμει, energia, ἐντελεχείᾳ, potentia, inquam, non paſſiua vt in materia, ſed actiua: cauſæ enim homonymæ, ſi neſcis, dant quod non habent: vinum non ebrium, inebriat: cos non acuta acuit. Imò verò Ariſtoteles negat ſolem actu eſſe calidum, ſed rapido ſuo motu calorem excitare, motus enim calefacit, & quo velocior eſt motus, mobile maius & denſius eò calefacit magis. Atqui ſol eſt corpus denſum (aſtrum enim eſt denſior pars ſui orbis) cẽties ſexagies ſexies maior tota terra: mouetur citiſſimẽ: quia vna die raptu primi mobilis ampliſſimum ſpatium conficit. ergo vicina corpo-

ra, vt aëris ſuma regio, non poſſunt illius motu non incaleſcere. Hoc argumento Peripatetici negant ſolem eſſe calidum: ne cogantur in diuino & ſempiterno corpore admittere repugnantiam, mutationis omnis, ortus, interitus & alterationis principium. Nam ſi natura poſuit illic vnum contrarium, poſuit & alterum?

Subiungis: *Formales eſſentias non appellamus prima principia, ſed elaboratiſſimas ſpecies, quæ comparatæ craſſis dicuntur formæ.* Nonne tu es ille qui contendebas vos in eſſentiis retinere craſim, nonne eſſentiæ veſtræ quantumuis elaboratæ ſunt corpora mixta? videntur enim & guſtantur. At ne elementa quidem veré & propriè dixeris principia. Loquor comparatè, inquis: hoc modo quid non erit principium? Omne compoſitum erit principium compoſitioris. Pudeat te iſtarum ineptiarum.

Si principia chymica fiant an educantur? ſi Vulcanus mixtum in illa tranſmutet, an extrahantur.

Ad pag. 47.

VT oriuntur res naturæ coniunctione materiæ & formæ, ſic eorumdem ſeparatione, vt animæ à corpore intereunt. Elementa reuēta eſſe in mixtis hoc manifeſtè conuincit: quod terrena ſiccitas humore aqueo veluti glutine neceſſariò continenda ſit, alioquin

in pulueres dissipabilis : redditurque tandem terrenum terræ, aqueum aquæ.

Vos aqua, vos tellus cunctos aliquando tenebit.

Aërem quoque inesse, præter spiritus, ostendit humor oleosus, Ignem verò calor satis indicat. At salem, sulphur & mercurium reuera inesse, concurrere eo modo, quo elementa ad generationem mixtorum; dissolutione mixti reddi sulphur sulphuri, salem sali, mercurium mercurio tam falsum est quàm quod falsissimum. Quid ergo reliquum est, quàm vt potentia tantùm seu materialiter insint? Est-ne vestra Alchimia potior naturali? At chylus reuera non est in pane, sed potentia tantùm seu materialiter: quia scilicet ventriculus benigno calore secretis heterogeneis materiam homogeneam in chylum transmutat, sic sanguis est in chylo. Hepar portionem chyli generando sanguini conuenientiorem benigni sui caloris ministerio heterogeneis secretis in sanguinem transmutat. Vulcanus vester ad imitationem naturæ igneam mixti portionem transmutat in sulfur, aqueam in liquorem mercurialem, terrestrem in salem. Non erant in mixto potius quàm chylus in pane, aut quatuor humores in chylo. Ne dixeris ergo vos extrahere de mixtis sulphur, salem & mercurium, sed mixtum in illa conuertere, seu ex propria & conuenienti materia salem, sulphur & mercurium efficere, ex determinato determinatum. Hanc litem te arbitro dirimamus. *Gramanus*, inquis Antigramaniæ pag. 395. *est mirificus, qui ventri-*

culo

culo tribuat separationem: ventriculus enim non separat, sed ex cibo dissimili efficit vniformem. Mox subiungis: *Iterum imperitè garrit de ventriculo separante.* Quoties scripsisti principia chymica non extrahi, sed mixta in hæc tria transmutari? Adscribam locum vnum qui erit instar omnium Antigramaniæ pag. 525. *Fuimus,* inquis, *Paracelsicis æquiores: nam de rigore debebamus omnia eorum euertere phantasmata, & ad eductum mercurium, salem & sulphur dicere, quòd elementa esse nequeant, cùm non actu insint, nec potentia propinqua & naturali, nec naturaliter educantur, sed artis ignea violentia, qua transmutantur res, non educuntur. Item negare in nobis esse sulphur & mercurium, neque talia vera ab illis educi, sed aliquid parumper simile.* Quid aliud potuit dogmaticus, vt demonstraret falsò à chymicis essentias extracta nominari? Estne credibile in hominem sanæ mentis tantam propositorum inconstantiam cadere potuisse? Potuitne hæc disquisitio conuenientiore quàm *Libauimaniæ* titulo inscribi?

Si essentiæ chymicæ essent aliquid, res essent prius quàm fierent. Non memini me scripsisse: Si essent aliquid; sed scripsi aduersus Haruetum, qui illas formas appellabat; Si essent formæ, & actu sint in mixtis, res esset prius quam fieret. nihil fieret noui, quia res fit nouæ formæ accessione, præsente forma iam est. Exempli gratia: si elementa quæ constat reuera inesse, quamuis indefinitè, essent forma mixti, cùm ex illis res fit, iam esset, nihilque fieret noui. Simili argumento Peripatetici conuincunt Platonicos,

ſpiritus mundi aſſertores : nam ſi ſit diffuſus per elementa, ſitque forma mixti, quid fiet noui? cùm res ſit iam erit, neque ortus ſimplex erit introductio nouæ formæ, ſed latentis in apertum eductio. Si veſtræ eſſentiæ ſint formæ & actu ſint in elementis, quid fiet noui, cùm ortus ſimplex ſit nouæ & eſſentialis formæ acceſſio? Si poſſis pro Platonicis, poteris pro tuo cliente reſpondere : eadem enim eſt quæſtio.

Si non ſint mixtorum & elementorum communia, dabitur in natura aliquod corpus illorum expers. Nónne hoc verum, quid reſpondes? Pari iure obiiciam, inquis, dari in natura aliquod corpus expers contrarietatis. Equidem cœlum conſtat tantum materia & forma, eſt expers priuationis, quia materiam habet loco tantùm mobilem, non tranſmutabilem, materiam habet ita ſuæ formæ ſociatam, vt non appetat nouam; propterea illic non apparent nouæ generationes, imò ne alterationes quidem inſignes. Hoc factum eſt ſummi opificis conſilio, vt caducum ab æterno regeretur. Æquum erat, vt corpus principio diuinitatis vicinius eſſet diuinioris eſſentiæ. De beneficis iſtis & diuinis corporibus quàm reuerenter loquendum ſit, copioſe Plato in Epinomide.

Si quis dicat, &c. Omnis cauſa eſt natura prior ſuo effectu; verùm ſi chymica principia ſint elementorum principia, quandoquidem mixta, erit effectus natura prior ſua cauſa, imò erit cauſa ſuæ cauſæ, principium ſui principij.

Respõdes causam & effectum esse simul tempore. Quid tum? Definit ne causa esse natura prior suo effectu? Possuntne elementata esse natura priora suis elementis? esse causæ elementorum? Possuntne composita primis & simplicissimis corporibus esse priora? Dixerisne hæc paradoxa ab homine sanæ mentis profecta? Vt defendas Paracelsici Quercetani paradoxa, cogeris ineptire & philosophiæ mille colaphos impingere.

Ad pág. 48.

Quinta ratio inscitiæ & Bœotici ingenij præbet argumentum. Ita ego aduersus Quercetanum; Vt stabilias tua, diruis omnia artis physicæ principia, infinitorum seculorum auctoritate iam approbata. Quod inductione longa illius assertionum demonstraui, vt, *Nullum esse ignem elementarem. Esse tantum tria elementa, ex quibus exurgit quarta seu cœlestis essentia. Cœlum pro sua sapientia nobis calorem & frigus impertiri.* Quo loco argumentis ex Aristotele petitis demonstraui necessario ponendum esse ignem elementarem, de quo sic ille: διὰ συναιτίαν καλοῦμεν πῦρ, Aliquando ex vulgari cõsuetudine loquendi summam aëris regionem appellamus ignem, ὡς δ' εἰ πῦρ, reuera tamen non est ignis, sed πυρώδης, ignis simulacrum, igni elementari aliquid simile. Quatuor elementa Hippocrates primarum qualitatum concretis nominibus valde accommodate ad doctrinam Medicorum appellauit, res eadem, mutata nomina: nam primum calidum est ignis,

primum frigidum aqua, primum humidum aër, primum ſiccum terra. Fernelius vno fere toto libro demonſtrauit in viuentibus duos eſſe calores, vnum elementarem, alterũ cœleſtem.

Quid reſpondet ineptiarum Quercetani patronus, Pariſienſis cenſuræ examinator ineptiſſimus? Probatne pro ſuo cliente cœlum ex elementis tribus conflatum? Probatne pro ſua ſapientia nobis etiam frigus diſpenſare? Probatne nullum eſſe ignem elementarem? Propoſitis ex Ariſtotele inuictis argumentis putaſne illum reſpondiſſe? Minimè gentium.

Quid ergo? Audite Bœoticum reſponſum: *Apage cum iſtis tuis vaſanijs.* Bacchus hoc tibi ſuggeſſit reſponſum, non Apollo, non Muſæ.

Septima, inſcitia eſt non argumentum. Natura res ſuas poſtremò in ea reſoluit, ex quibus eas primùm compoſuit, & contrà. Atqui non diſſoluit poſtremò res ſuas in chymica principia, ſed in quatuor elementa, redditque terram terræ, aquam aquæ; eò denique redeunt omnia, vnde primùm profecta ſunt,

Non perit in toto quidquam mihi credite mundo.

Conquieſcit interitus miſtorum in elementis, non reſoluuntur à natura elementa in chimerica principia, quandoquidem ipſa ſunt elementata & in ſimpliciora diſſolui poſſunt. Ponamus plãtam aut cadauer via putredinis corrumpi, reſoluto ſenſim vtroque humido cinereſcent, eorumque interitus erit ortus elementorum. An ortus ſuplhuris, ſalis & mercurii?

Hîc dum ſentis te premi, reſpondes ignes fatuos monſtrare ſulphur, halinitrum ſalem, liquamen cadaueris, mercurium. At iſta quoque tria ſunt miſta & in elementa ſolubilia, neque potius poſſunt eſſe mixtorum omnium communia, cœlique & elementorum principia, quàm ſal, ſulphur & mercurius; proinde quæſtio eodem reuoluitur. Ex hoc tuo reſpō-ſo liceat mihi ſic argumentati: Ignes fatui, halinitrum & liquamen ſunt prima & mixtorum omnium communia principia, ex quibus natura res ſuas componit, & in quæ eaſdem reſoluit. Atqui Libauius eſt corpus miſtum: ergo natura illum compoſuit ex igne fatuô, & halinitro. Quid ſi non putreret, ſed cremaretur, eſſetne ignis iſte fatuus, An tu ipſe cum tuo igne, fatuus? Cato ille ἀγέλαστος, qui ſemel tantùm riſiſſe dicitur, legens hæc Libauii paradoxa, potuiſſetne riſum continere? Ponant, inquis, Paracelſici iſta principia, dummodo ita amentes non ſint vt faciant conſtitutiua & nutrientia; nonne his verbis manifeſtè fateris te eſſe amentem qui defendis illa eſſe cō-ſtitutionis principia? Antigramaniæ pag. 524.

Non refert ſi inſint actu an potentia. Imo tantum refert vt ſit vnum ex præcipuis capitibus noſtræ contentionis. Nos enim contendimus veſtra principia eſſe tantùm potentia in mixtis eo modo quo omnia in omnibus, non actu, vt putabat Anaxagoras; neque enim, vt Ariſtoteles ſapienter obiicit, ὁμοιόμερα, vt caro & os ſunt in πανσπερμία, niſi potentia proxima vel

remota : ſanguis eſt caro potentia proxima; quia leuiſſima alteratione mutatur in carnem: panis potentia remota; quia non niſi præuiis multis alterationibus in illam mutari poteſt. Priùs enim verti debet in chylum, deinde in ſanguinem, poſtremò in carnem. Materia illa quatuor elementorum communis eſt omnia potentia; quia ex illa & primis contrariis fieri poſſunt omnia. Hanc potentiam materiæ placet familiariori exemplo declarare. Hepar ſanguifica ſua facultate miniſterio caloris efficit ſanguinem, id eſt, quatuor humores ſimul: quomodo? Igneã chyli portionem conuertendo in bilem, aëream in ſanguinem, aqueam in pituitam, terrenam in melancholiam. Faciamus moderatum illius calorem intendi & degenerare in febrilem; producet bilis non naturalis varias ſpecies, porraceam, æruginoſam, glaſteam, cæruleam, atram. Vna eademque adnumerum materia pro caloris intenſi vel remiſſi gradibus in tot rerum ſpecies mutatur. Dixeris ne omnes actu fuiſſe in portione chyli inflammabili, an potentia? parumne refert vtrũ dixeris? ne potentia quidem inſunt, inquis, niſi remota, eaque non naturali.

Si in eſſentijs remaneat temperamentum mixti.

QVamuis hæc quæſtio ab initio diſputata fuerit, nihilominus quia iteratur, reco-

quenda nobis eſt. Manetne in diuiſis eadem craſis quæ erat in coniunctis? Minimè verò: aliud enim eſt totius, aliud partium temperamentum. Concentus omnium partiũ in vnum conſpirantium eſt temperamentum totius, ſingulæ diſtractæ à toto ſuum habent proprium. Serum, caſeus & butyrum habent ſingula ſuam craſim differentem à craſi lactis, quamuis coniuncta efficiant lac & illius craſim. Eſſentia magnetis non poteſt eam vim retinere quam totum: quia ad actionem requiritur materia certo modo temperata & formata, quæ tollitur eſſentiæ extractione. Si veſtræ eſſentiæ agerent per ſe ſine materiæ adminiculis, vt intellectus humanus, poſſent extra mixtum eam agendi vim retinere quam habebant iunctæ materiæ. ſed formæ phyſicæ egent corporeis inſtrumentis, quibus deſtitutæ, aut feriantur, aut aliunde actionis ſuæ principium mutuantur. Faciamus igne chymico & artificiali ſeparari poſſe ab oculo ſaluum & incolumen ſpiritum viſiuum, retinebitne potentiam videndi? Separetur auditorius ab aure, quidni audiet? quia ad audiendum opus habet materiâ certo modo temperata & conformata. Extrahe de iecore quintam eſſentiam, retinebitne vim ſanguificam? Eſſentia ſuccini trahitne paleas? Eſſentia oſſis milui piſcis trahetne aurum? De hac quæſtione quid ipſe ſenſeris, audiamus. Antigramaniæ pagina 559. *Eſt in totis quædam craſis & compoſitio quæ in partibus diremptis eſſe nequit.*

Nihilominus quia his veluti aculeis sentis te pungi, respondes conuitiando pro tuo more. *Garrit Censor ebriosorum somniantium modo.* Crede mihi nisi philosophia, à qua tu es alienissimus, intra fines modestiæ me retineret, non abires impunitus. Mirum est quod de tuo furore nihil remittas. Hoc solùm habes commendabile, quod benè noris maledicere.

Ad pag. 49.

Decimum argumentum risu dignum est. Elementa reuera esse in mixto negari non potest: quia in ea tandem resoluitur. Verùm quia insunt refractis viribus, neque enim ignis inest calidissimus, sed à suo contrario temperatus, dicuntur potentia seu indefinitè inesse. At neque definitè, neque indefinitè insunt sal, sulphur & mercurius, sed eo modo quo quatuor humores in chylo, aut cor in sanguine, potētia scilicet. Quid ergo sibi vult Aristoteles, cùm scribit secerni primùm cor à natura de materno sanguine? Vult secerni materiam cordis, non cor. Sic igitur te auctore ratiocinemur: Quo modo natura secernit cor de menstruo, eodem Chymici sua principia de mixtis. Atqui natura non cor ipsum, sed materiam cordis secernit de sanguine materno. ergo chymici non sua principia quasi iam existentia, sed materiam suorum principiorum de mixtis excernunt. Natura suggerit materiam, Vulcanus adiicit formam. Qualem? Congenerem sibi, hoc est, violentam, neque naturalem, neque naturali analogam. Dicam facilius. Id solùm verè &

propriè dixeris ſecerni quod actu ineſt: ſic propriè ſecerni dicitur humor morbificus à maſſa ſanguinis per criſim, ſic renes à ſanguine ſecernunt ſerum, lien limum, veſicula fel; ſic ſerum, caſeus & butyrum à lacte ſecernuntur: Impropriè verò dixeris ſecerni chylum à pane, ſanguinem à chylo, cor à ſanguine, melius dixeris fieri cor ex ſanguine, ſanguinē ex chylo, chylū ex pane. Similique modo ſi verè & propriè loqui velis, dicendum eſt, Vulcanum portionem mixti inflammabilem mutare in ſulphur, Aqueam in liquorem mercurialē. Cuius ſententiæ teipſum auctorem citauimus diſquiſitione ad pag. 47.

Ad pag. 50.

Vt demonſtretis veſtra principia actu ineſſe mixtis non tantùm potentia, habetis hoc argumentum familiare, quod præ ſe fert aliquam ſpeciem veri, incautos tamen fallit: *Nos illa ſeparamus, & ſeparata oculis ſubijcimus, quare ergo tam obſtinatè negatis ineſſe?* Verùm vos ipſi diſſoluitis mixta non natura. Videmus quidem naturaliter occidere omnia in elementa, nihil videmus à natura in veſtra principia diſſolui, ſiue corrumpatur putredine, ſiue vſtione. ſi vultis vobis credi, docete ſenſu aut ratione, vt in elementa, ſic in veſtra principia mixta abire reddique ſulphur ſulphuri, ſalem ſali, mercurium mercurio. Nam cùm omne finitum detractione finiti tandem abſumatur, niſi elementa reunirentur ſuis totis, iampridem ortus deſiiſſet. Dic bona fide, ſi obſeruaris vnquam

in cimeteriis vestris cadauera Germanorum resolui in ignes fatuos, qui reuniantur igni fatuo, dissolui in halinitrum, quod ad primum halinitrum veluti ad suum principium reuertatur; resolui in mercurium, qui toti suo homogeneo restituatur: hoc enim necesse est, alioquin iampridem vniuersitas periisset. Volo te iudice litem istam dirimere. Tu ipse negas inesse potentia nisi remota, eaque non naturali; defendis nunc nos illis vt principiis constare & nutriri. Cōtra Gramanum affirmas eos desipere qui nos ex illis constitui & nutriri existimant. Ex tua assertione sic argumentor: Libauius constat igne fatuo & halinitro. actúne? non est verisimile naturam doctissimo Libauio dedisse spiritum fatuum; non credo, etiamsi ipse affirmet: tribuo hoc consuetæ hominis modestiæ, qui de se solet sentire & prædicare abiectissimè. Malo igitur quod reliquum est, vt illo constet potentia non actu, potentia inquam remota, eaque non naturali.

Estne spiritus aquæ ardentis idem cum spiritu vini, spiritus pomacii, aut pyracii idem cum pomacii aut pyracii spiritu? Non videtur. Nam vt idem dicitur tribus modis genere, specie & numero, Idem numero rursum tribus modis, accidente, proprietate & essentia seu definitione: Ita res totidem modis à se inuicem differunt: Atqui aqua ardens specie differt à vino: transit enim in aliam speciem liquoris, imo in aliud rerum genus: quia omnes aquæ stillatitiæ sunt aquæ artificiales: neque

enim naturales, quia non ſponte naſcentes, non minus artificiales quàm cæterarum artium opera, quibus natura materiam ſuggerit, ars formam. Secundo differunt craſi, quia differunt caloris intenſione: neque enim temerè dicuntur ardentes. Pomacium & pyracium refrigerant, eorum ſpiritus potenter calfaciunt: quia ab igne hanc vim acquirunt. Inde forma, vis, proprietas, quinetiam definitio diuerſa, quia genus differens & qualitates differentes. Quid eſt vini aqua ardens? Eſt aqua ſtillatitia à calore potenti facta ex rarefacta, in vaporem ſoluta & concreta vini materia. Tantum differt calor aquæ ardentis à calore eius vini à quo proceſſit, quantum calor ignis à calore aëris. Faciamus ergo aërem aucto illius calore & rarefacta materia conuerti in ignem, & ſuam formam formæ ignis permutare: nihil erit vtrique commune præter materiam, quæ eadem numero manens à calore potentiori alterata in aliam familiam tranſiuit: eodem modo vinum à calore potentiori rarefactum, & in halitus conuerſum vertitur tandem in aquam ardentem: quomodo igitur ignis erat in aëre, eo modo aqua ardens & illius ſpiritus in vino. Atqui ignis non fuit in aëre niſi potentia ſeu materialiter: ergo neque ſpiritus aquæ ardentis in vino. Eſto tu arbiter iſtius controuerſiæ. *Poteſt-ne*, inquis, Antigramaniæ pagina 340. *Dici quidpiam illius eſſentia cuius corruptione genitum eſt?*

Atqui de vino destillatę aquæ fiunt vini corruptione; ergo non potest te iudice aqua ardens dici essentia seu spiritus vini. Plura Libauius loco dicto.

Si vinum consistentia aqueum, vnde illi calor? A cœlo & solo. Cùm sanguis sit aqueus, vnde calidus? A multiplici coctione. An coctione quoque secretis heterogeneis calor accedit vino? Empedocles definiebat vinum aquam quæ putruit in vite, qua definitione includebat cum materia causam efficientem. Veteres enim σήψιν pro πέψιν vsurpabant, vnde Athenæus scripsit lunæ tepore fructus putrere, id est, coqui. Hoc sensu scripsit Hippocrates lienteria alimentum reddi ἄπεπτον, incoctum; est putredo quædam ad corruptelā, quæ fit caloris alieni victoria; est putredo ad perfectionem, quæ fit vi caloris naturalis cœli & soli: quomodo semina humo mandata putrent prius quàm germinent. Hoc modo Empedocles finiebat vinum aquam putrem.

Ad pag. 51.

Reprehendis quod scripserim vinum à calore resolui in vaporem, tamen Medici spiritum naturalem volunt fieri ex vapore sanguinis, & euaporationis nomen pro ἀναθυμίασιν seu expiratione omni solet vsurpari. Hippocrates vaporem scribit esse materiam ventorum. Volo tamen tecum crassiorem vini partem, quæ facessit in aquam resolui in vapores, tenuiorem verò ex qua fit spiritus aquæ ardentis, dissolui in exhalationem, vt sit vapor materia proxima

aquæ: exhalatio, ſpiritus: vinum communis v-triuſque materia. Sic aqua eſt proxima materia vaporis, vapor pluuiæ, niuis, & grandinis. Non eſt grando in vapore, ſed fit ex vapore: non eſt aqua ardens in vino, ſed fit ex vino. Craſſior portio vini abit in aquam, tenuior in ſpiritum.

Ad pag. 52.

Duodecima ratio talis eſt: Videmus quotidiè aërem mutari in aquam, viciſſimque aquã in aërem: Atqui aër eſt decuplus ad aquam: ex vna libra aquæ fiunt decem aëris. Itaque ſi elementa conſtent ſale, ſulphure, & mercurio, quoties aqua mutabitur in aërem, toties ex vna libra ſalis aquei fient decem ſalis aërei: ex vna libra ſulphuris aquei fient decem ſulphuris aërei. Quid reſpondes Ignis fatui primogenite?

Iam docui halonitrum ineſſe, in quo aquoſitas, pinguedo inflammabilis & ſal. aquositas. Inflammabilitas. Sapiditas.

In vitium ducit culpæ fuga ſi caret arte. Insipiditas aqu… Insipiditas …

Vt vites ſcyllam incidis in charybdin: nam ſi halonitrum ex tribus principiis (quæ ſingula mixta ſunt) compoſitum, ſit aëris ſimpliciſſimi principium, ex vna libra halonitri aquei fient decem aërei. Sic,

Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currũt.

Decima-tertia, &c. Tantum aquarum non eſt ſicco pede tranſeundum. Hæc quæſtio non eſt percurrenda: atque, vt dicitur, leni brachio attingenda. Quercetanus conſtituit Medicinæ quartam ſectam ab Hippocratica principiis, cauſis, ſignis, & remediis differentem. Hippo-

crates vt in elementorum ſymmetria ſanitatis fundamentum conſtituit; ſic ex eorundem ametria omnes ferè morbos exoriri aſſeuerat: quia aut ſunt intemperies, aut cum aliqua partis aut totius intemperie. Intemperie totius includo febrem; Intemperie particulari cum materia, quatuor tumorum ſpecies, quos totidem humores committunt. Quercetanus mauult ex trium principiorum ametria illos exoriri. Hippocrates pro quatuor humorum varietate inſtituit remedia, ſingulaque accommodat ſuæ cauſæ, venæ ſectionem ſanguini, peccanti bili cholagogum, pituitæ phlegmagogum. Quercetanus morbos ſalis ſale; ſulphuris ſulphure percurat: Libauius de iſtis morborum cauſis & remediis quid ſentit? Clientes videte, ne præuaricetur, & veſtram cauſam prodat. loquere Libaui. *Quid ſi deliret phyſicus? quid ſi inſanit Medicus*? Ecquis bonus genius hoc reſponſum tibi inſpirauit? mentitus es hactenus cum pro veritate principiorũ chymicorũ diſputaſti, quæ tu ridicula & phantaſtica eſſe aliàs non ſemel affirmaſti: nunc reſipiſcis, perge iſto pede: eſt enim aliquid ſerò ſapere cũ Phrygibus, ſicque mecũ ratiocinare: Effectus arguit naturã ſuæ cauſæ, concluſiones ſunt veluti effectus principii; quare ſi cõcluſiones iſtæ ſint falſæ, morbos oriri ex immoderatione ſalis, ſulphuris aut mercurii, eoſdemq; ſimilibus, vt morbos ſalis ſale, percurandos, quis vel ex hoc ſolo nõ concludat trium iſtorum principiorũ aſſertionem eſſe vanam & fallacẽ? Quare faues cauſæ, cuius effectus reſpuis? Poteſne iudicare cõcluſiones

falsas, si principium ex quo dependent, sit verũ? Schola quartam sectam idcirco reprobauit, quod introduceret insolentes morborum causas, remedia ad hunc diem inaudita. Cur patrocinaris istius sectæ assertori aduersus scholæ celeberrimæ decretum? Finirem hîc, quia extorsit veritas à suo aduersario tacitam retractationẽ, nisi vt canis redires ad vomitum.

Aristoteles distinguit sophistã à philosopho: quod sophista disputet ad victoriam, philosophus ad veritatẽ. Imò doctorẽ distĩguit à disputatore, eo quod doctori res sit cũ discipulo, quẽ cupit erudire; disputatori verò cũ aduersario, quẽ conatur etiã ex falsis non tantum ex verisimilibus superare. Agit disputator cũ respõdente summo iure: vrget illũ aliquo falso concesso tanquã vero, satisq; illi est, si dicat probabilia & quibuscunq; potest artibus in suam opinionẽ adducat. Hoc discrimen patere potest tuo exẽplo: Disputas enim aduersus scholæ Parisiensis iustissimũ decretũ, nõ tam veritatis, quã victoriæ & contradicendi studio. Cæterùm hæc crãbe non fuit toties recoquenda. Nos sensu & ratione monstramus concurrere quatuor Hippocratica principia ad generationem mixtorum omnium, resoluto à calore alieno vtroque humido, terram permanere, singulaque reddi suis totis. Possisne de chymicis principiis idẽ ostendere? Quidni, inquis, nonne vinum dissoluitur in spiritum ardentem, aqueum humorẽ & salem ex reliquiis crystalli secretũ? Agnosco Hippocratis elementa, ignem enim appellas spiritum ardẽtem: aquam, liquorem mercurialem,

terram, cryſtalli reliquias. Verùm quis reſoluit vinum in hæc principia? Arsne an natura? Faciamus vinũ via putredinis naturâ liteẽ corrumpi, abibitne in aquam ardentem? Diſſolueturne in ſpiritum flagrantem? remanebuntne cryſtalli reliquiæ? Cumque ſint eadem conſtitutionis, quæ diſſolutionis principia, natura facitne vinum ex aqua ardente, flagrante ſpiritu & reliquiis cryſtalli? Vidi multos deliros abſurda loquentes, qui locutus ſit abſurdiora, vidi adhuc neminem. *Decimum-quintum nugamentum ipſam probro afficit naturam.* Quæſitum eſt magnaque ingeniorum cõtentione pugnatum, ſi verè à Quercetano ſal conſtitueretur primum principium rerum naturalium. Hoc paradoxum multis quidem aliis, ſed iis potiſſimùm argumentis refutaui: Vita conſiſtit in humore primigenio, fouetur alimentario, vtrumque dulce & inſulſum: natura enim vt reſarciat iacturam humidi primigenii humido congenere, triplici coctione, ſale ſeu terreſtri portione, alimentum ſpoliat. Prima coctione ſecernit fœces, ſecunda limum, tertia ſudorem & ſordes. Duo principia noſtræ conſtitutionis ſemen & ſanguis, ſunt inſulſa; ecquæ poteſt eſſe neceſſitas ſalis ad generationem & nutritionem viuentium? Reſpondebat, beneficio ſalis concreſcere omnia. Ego verò demonſtrabam ſanguinem concreſcere, non vi ſalis, cuius eſt expers, ſed fibrarum, hoc argumento: Quod ſi careat fibris non concreſcit, & quo fibroſior, eo citius coaguletur, propterea ſanguinem

tauri

tauri esse præsens venenum, quia mox sanguinem coagulat. Addebam fibras esse prima vitæ lineamenta, ad quas appellens maternus sanguis, mox concrescit in carnem: pituitam salsam non concrescere. Quercetanus astrorum, vt Solis, densitatem adscribebat sali: solē quippe concreuisse in tantum & tam solidum corpus beneficio salis. Quærebam ergo: An non ignis quoque constat vestris principiis. Quid respondes pro tuo cliente, examinator ineptissime? Meministine tot argumentorum, quibus conuicimus neque constitui, neque nutriri sale viuētia? Minime verò. Quid ergo respondes? *Cureus olim dicebat etiam in igne esse humidum: habetis vos domi quod disceptetis.* Putasne nos curare phreneticorum tibi similium deliramenta? habesne aliud signum quo demonstres vsum salis? quo probes esse principium constitutiuum viuentium omnium? recita. *Cùm in fæcibus reperiamus salem, quis negabit esse constitutiuum & conseruatiuū viuentium omnium?* Adeste chymici, & ex hac linea qualis sit Apelles vester patronus, iudicate, qui delitescebat ignis fatuus, nunc sese prodit. Quæstio est, si sal sit principium constitutionis & nutritionis, de quo olim Libauius Antigramaniæ pag. 524. *Oportet esse dementem qui hoc dixerit.* Paracelsus solum mercurium vult nutrire, salem & sulphur reîci vt excrementa. Nunc verò alius omnino à semetipso, quasi illum furor transuersum agat. *Nos*, inquit, *in fæcibus inuenimus salem.* Imò hoc ipso quod in fæcibus reperiatur, neque est constitutiuum, neque nutritiuum

Natura enim fæces vt heterogeneas amandat, retinet tantùm homogenea. Velles ne tu nutriri sale fæculẽto vt sus, aut ex eodem te genitum arbitrari? non inuenitis sales in fæcibus, sed facitis sales ex fæcibus per adustionem, proinde nec constituunt, nec nutriunt viuentia.

Barbaræ quædam gentes mediterraneæ ad occiduam noui orbis plagam, ex fœcibus parãt salem quo alimenta conseruant: verùm non ita desipiunt vt isto sale se genitos putent: Te verò qui fœculentum & putidum dixerit, nonne ad tuam doctrinam aptè & accommodatè dixerit, cùm te ex fœcibus genitũ fatearis? qui te Grillũ vocarit, nonne ad tuam doctrinam accommodatè loquetur quia te nutriri sale fœculento ingenuè confiteris? Vt sunt virtutes quædam heroicæ quæ superant virtutum communem ordinem, ita quædam vitia, tam horrenda quotidie occurrunt, opinionum tot monstra, vt superent errata vulgaria. Sapientiùs Libauius Antigramanicus pag. 524. *Principia chymica non admodum auersamur, dummodo ita amentes non sint vt nos ex illis constitutos aut ex iisdem nutriri non affirment:* Delige vtrum mauis: an disputando aduersus Gramanum esse plane insulsus, an contra Riolanum stercorario sale constitutus & nutritus.

Decimo sexto delirat Censor. Obiiciebam: Sal nõ constituit, quia non nutrit; non nutrit, quia solo humido dulci nutrimur, ad eum finem non vna, sed triplici coctione defæcari. Quid respondes domine examinator? *Distinguo: Solum quidem*

sal nõn nutrit, sed alimentis coniunctum: inest enim alimentis quæ assumuntur. Verùm si nescis, alimẽtum dicitur actu vel potentia: potentia, inquã, proxima vel remota. Hippocrates & Galenus appellant nutriens, quasi nutriens & nutriturum. Demus nutriturum constare sale, at triplici coctione defæcatur, vt solo dulci nutriamur. Hoc ridiculum responsum demonstrat te, non censorem, delirare: Deliras magis cùm scribis Aristotelis speculationes esse otiosas. A doctioribus te iudicatus est semper naturæ genius. Placere non potest fumiuendulis, quorum genius serpit humi conclusus fumo.

Decimumseptimum delirium. Refellis meam obiectionem argumento à simili: *Non nutriunt elementa, non nutriunt materia & forma; ergo non erunt principia.* Vtrumque humidum, si nescis, est corpus mistum & quatuor elementis temperatũ, quanquam in vtroque calidum humidum dominentur: calor enim à frigore temperatur, humor à siccitate; sanguis quanquã aqueus magis & terrestris quàm aëreus & igneus, cõstat tamẽ quatuor elementis: constat sua materia, constat sua fõrma: vtrumque cum suis elementis per assimilationem permutat naturæ meliori, dum fit pars viuẽtis. Si in Aristot. philosophia tantũ operæ posuisses, quantum in chymica, non obiiceres tam ridicula.

Vita in temperie consistit, corrumpitur excessu: propterea caustica neque generant, neque genitum conseruant, nisi fortè vt medicamẽta. Atqui sales chymici, non quales in fœcibus tu

ſoles reperire, ſed quales facis ex fœcibus per aduſtionem, ſunt cauſtici: ergo neque generant, neque nutriunt.

Elementa generant & nutriunt, ſed à ſuis cōtrariis temperata: à temperie illa pendet vitæ & ſanitatis principium. Ponamus ſulphuris ardorem à Mercurio temperari, ſali quodnam oppones quartum principium, à quo ſiccitas temperetur? Ponamus ab aliquo cōtrario tēperari; ergo cū Hippocrate & Ariſtotele fatearis neceſſe eſt cōtrarietatem eſſe primum principium mixtionis. Quod in Ariſtotele tam acriter reprehendiſti; qua de re erit poſtea diſſerendi locus opportunior.

Ad pag. 54.

Inueheris in materiam primam: quia eius vim & neceſſitatem in ortu rerum comprehendere non potes. Scripſi olim aduerſus Petrum Ramum pro tribus Ariſtotelis principiis; cuius operis libro ſecundo non tantùm ratione, ſed etiam veterum philoſophorum auctoritate demonſtraui, quanta ſit illius neceſſitas. Nolo actum agere. Reflecte animum ad mutuam elementorum tranſmutationem. Videbis vnam eandemque numero materiam, eodem ferè tēporis momento aqueſcere, aëreſcere, igneſcere & terreſcere, quaſi nō ſit vni addicta formæ, ſed ad omnes peræq; affecta, nullam poſſideat actu, omnes potentia: quaſi naturam non habeat definitam, ſed indeterminatam, potentia quidlibet, nihil actu. Hanc materiam cum iſta potentia, quia elementa afferunt ad conſtitu-

tionem mixtorum omnium, propterea omnia ortui & interitui sunt obnoxia. Præstitisset te hoc didicisse, quàm humanæ sapientiæ summo magistro tam iuueniliter insultare.

Vbi falsa principia, &c. ἐκ μὴ καλῶς ἐχόντων, χαλεπὸν λέγειν καλῶς, vt ex Epicharmo citat Metaphysicus præceptor. Ex principiis falsis difficile est sequi verum. Disputator quidem ex falsis concludit, sed vi formæ, non materiæ. Nũquam doctor ex falsis gignet scientiam in animo suorum auditorum. Itaq; meam obiectionem sic inuertis: Conclusiones demonstrant principiorum veritatem, quemadmodum opera artificis veritatem artis: Atqui opera chymica sunt vera: Itaque principiorum & artis veritatem demonstrant. Eodem argumento superius vtebar, cùm docerem te ipso iudice falsa esse principia, quorum conclusiones sunt falsæ: Atqui conclusiones quæ necessariò hoc primũ Alchymiæ principium cõsequuntur, nimirum morbos ex chymicorum principiorum immoderatione oriri, & similibus, vt morbos salis sale, curandos, te consentiente sunt falsa: ergo falsum est principium ex quo dependent. Sic effectus prodit suam causam. Opera chymica non aspernamur, sed artis potius quàm naturæ opera esse contendimus, proinde non posse esse rerum physicarum physica principia. Non propterea Alchymiæ quidquam detrahimus, imò plus laudis illi accedit, si dicamus tot rerum miracula valde solerter & ingeniose quotidie fieri arte spagirica. Quid si dicerẽ illam plus habere

ingenii & solertiæ quàm vtilitatis, plus fuci quàm veritatis?

19. *Hoc argumentum.* Placet in isto campo paulò liberius expatiari: quia est vnum ex præcipuis capitibus nostræ contentionis. Ex principiis chymicis natura nil potest generare. Illorum vnio veriùs compositio quàm generatio diceretur, verius concretio quàm mixtio. differunt enim synthesis & genesis, vt ars & natura. Natura dat suis rebus naturalem formam, cuius beneficio sunt id quod sunt, & spõte mouentur. Ars verò non potest dare suis rebus insitum principium motus, dat tantùm figuram & delineationem exteriorem. Forma naturalis est substantia, quinetiam præcipua pars totius: Artificialis verò est accidens: constituit quartam speciem qualitatis Introductio naturalis formæ generatio est; introductio verò artificialis (si propriè & philosophicè cum Aristotele loqui velis) synthesis. Sola igitur natura propriè generat, hoc est, naturalem formam inducit, inseritque operi suo principium motus: Ars componit inducendo legitimam partium omnium structuram. Natura generat mutatione potentiæ in actum: ortu enim simplici facit, vt materia sit actu quod poterat esse. Artifex componit, cùm iam actu existentia connectit: sic architectus efficit domum ex cemento, ligno & lapidibus, quæ singula iam actu existunt, sunt opera naturæ, ex quibus tanquam ex materia artifex res suas componit: sic Pharmacopœus efficit

ſuas compoſitiones multorum ſimplicium iam actu exiſtentium congeſtione, diciturque compoſuiſſe non genuiſſe. Quod inde exurgit opus, artis opus dicitur, non naturæ. Atqui principia quæ oſtenditis ſunt corpora miſta & certa forma determinata, non minùs exiſtunt quàm cæmentum, lignum & lapides: ergo quod ex illis conſurget opus, compoſitum non genitum, artis non naturæ opus dici debet, concretum verius quàm mixtum. Nam quæ miſcentur, tota totis permiſceri neceſſe eſt. Atqui corpora iam compoſita ſine penetratione dimenſionum καθ' ὅλον miſceri non poſſunt: Itaque melius concreta quàm mixta dicerentur corpora ex veſtris principiis compoſita.

Huc pertinet illa quæſtio contra veteres phyſicos ab Ariſtotele fortiter pugnata: An corpora naturalia fiant concretione, an mixtione, ſi concreta an mixta dici debeant. Democritus exiſtimabat atomorum cõcretione & veluti agglutinatione omnia generari. Anaxagoras ſimilarium, quæ ſunt in ſeminario, vnione. Primus Empedocles docuit generari elemẽtorum mixtione, ſeu alteratorum vnione, doctius auctore Ariſtotele, quia non poſſunt tota totis permiſceri atoma neque ſimilaria corpora. proinde ſi cum Anaxagora & Democrito mauis ſentire quàm cum Ariſtotele, omnia ex veſtris principiis nata concreta dicito, non mixta.

an concretio an mixtio?

Ad pag. 55.

Radicem in ſemine habent principia noſtra. Hoc

Dani commentum preſe fert aliquam veri ſpeciem, In ſeminibus radicaliter ineſſe principia chymica, quæ ſenſim cum plantis adoleſcunt, & cum ſubſtantia paulatim vires acquirunt. Verum ſuccus ille quo ſemen nutritur, quem planta ſugit de terra ad alimentum & incremẽtum; conſtat terra, aqua, ſpiritu & igne, non aliter quàm ſuccus quo fiunt & nutriuntur animalia: adoleſcunt ſenſim iſta elementa; vos ex terreſtri portione tandẽ efficitis ſales, ex aquea ſtillatitias aquas, ex aërea olea, ex ignea ſpiritus, quem, ſi placet, appellabis ſulphur, quemadmodum aquam mercurialem liquorem, terram ſalem. Neque enim admodum laboro de nomine, dummodo cõſtet de re. non erant hæc tanti, vt debueris Hippocratis & Ariſtotelis principia excludere, vt tria illa chymica in illorum locum ſufficeres. Demonſtro tibi in ſucco plantæ genitiuo & nutritiuo quatuor elementa, demonſtra mihi tua radicalia principia. Ad hæc: Debent eſſe conſtitutionis eadem quæ diſſolutionis principia. Atqui diſſolutionis veſtræ principia ſunt compoſita: ergo oportet radicalia quæ fingis, eſſe quoque compoſita: Sapientius illa phantaſtica & ridicula aduerſus Gramanum nominabas.

20. Cõfuſa & appoſita poſſunt à ſe inuicem facilè ſeparari, perfectè mixta non ita. Apponuntur ſicca ſiccis, vt ſcobes ſcobibus, & humore veluti glutinẽ ſociantur; quomodo fiebat veterum σύγκρισις, concretio, quorum facilis eſt διάκρισις, ſecretio. Confunduntur ve-

rò liquida, vt aqua & vinum in cramate, ſerum, butyrum & caſeus in lacte: quæ quidem etiam arte ſeparati poſſunt. At quæ tota totis ita ſunt permiſta, vt non ſit particula quantumuis exigua minus mixta quàm totum, verè à natura ſolâ ſeparantur, arte potius tranſmutantur. Vt concipias modum miſtionis; terra tota perfundatur humore aqueo, quomodo piſtor facit panem, Prometheus ex luto hominem: ecce naturalis ortus primum fundamentum: vtrũque permeet cũcta rerum penetrabilis aër, ſubeat iſta tria quoquouerſum ignis, nulla erit particula quantumlibet parua, quæ non conſtet quatuor elementis exquiſitè permixtis. Finge minimam particulam à toto diſtractam, illa nõ erit minus miſta, & quatuor elementorum vnione conſtituta quàm totum: reſoluetur à natura tandem in quatuor elementa. Calor vaneſcet, vtrumque humidum ſenſim difflabitur, minimum quod ineſt terræ, ſupererit. Illud minimum poteſtne tribus veſtris principiis iam mixtis conſtare? Poteſtisne illud in tria veſtra principia reſoluere?

21 Si principia verè ſtatuuntur, quæ non fiunt ex aliis, neque ex ſe inuicem, ſed ex iis omnia: veſtra principia quæ fiunt ex aliis, quia mixta, non poſſunt dici principia. Obiicis: Elementa conſtant materia & forma: proinde neque poterunt dici principia. Non dicuntur principia, niſi impropriè & cum adiuncto, ſecunda principia: quomodo veſtra, quia elementata, erunt tertia principia? Ariſtoteles in analyticis de-

monſtrat principia debere eſſe prima; quia ſi haberent priora, eſſent illorum concluſiones, non principia. Debent eſſe ἀναπόδεικτα καὶ ἀπιστητὰ, neque demonſtrari debent, neque ſciri, ſed intelligi: eorum veritas ſolo intelligentiæ lumine concipienda eſt, quæ idcirco ab eodem ἀρχὴ ἀρχῶν principium principiorum nominatur.

22. Non poteſtis oſtendere veſtra principia in mixtis, quia reuera non inſunt, ſed potentia tantùm eaque remota: Poteſtis in extractis, quia facitis, dum capacem materiam in illa trãſmutatis. Non poſſis oſtendere chylum in pane, quia non ineſt, poſſis in tranſmutato. Nota hîc contradictionem. Contradictio eſt eiuſdẽ de eodem in eodem ſignificato.

23. Elementa non ſunt primæ ſubſtantiæ, quia conſtant materia & forma, ſed prima & ſimpliciſſima corpora, quæ materia elementorum communis, non eſt ens logicum, ſed phyſicum: reale, non notionale. phyſica enim abſtractio materiæ à forma ſimilis eſt abſtractioni mathematicarum formarum à materia. Vt Mathematici definiunt ſuas formas nulla facta mentione materiæ, etiamſi neceſſario alicui inſint ſubiecto, quia ſunt accidentia, ita phyſici materiam definiunt ſine forma; quamuis illi neceſſario & inſeparabiliter cohæreat: quia alia omninò eſt ratio materiæ, alia formæ. Vnum eſt agendi, alterum patiendi principium. Excuſas Quercetanum quod eo iure chymica principia appellarit principia, quo

Aristoteles elementa, Verùm ille etiam cœlo & elementis priora esse duobus totis libris cōtendebat: proinde absolutè esse prima. Propterea si vis ad illius mentem disputare, disputationem his finibus circūscribe: doce mixta posse dici principia primorum & simplicissimorū corporum; alioquin ludes operam: quia potissimùm aduersus hanc assertionem dirigebatur scholæ nostræ censura. Cùm veritas sit vna & constans, potuitne heri esse verum auctore Libauio tria principia chymica esse phantastica, hodie eodem auctore esse vera?

24 Quia mixtio est mixtilium alteratorum vnio, quæ miscentur, prius alterari necesse est; alterantur dum actione & perpessione mutua ad temperiem adducuntur: calorem ignis obtundit frigus aquæ, siccitatem terræ, aquæ, & aëris humiditas contemperat. Miscentur autem non secundùm substantias, quia tota totis, fieretque penetratio dimensionum, sed secundum qualitates, quæ mutua pugna suas vires obtundunt in cōmuni illo subiecto, quod Aristoteles idcirco primum contrarietatis subiectum definiuit. Miscentur elementa, vt inde mixtum aliquod exurgat: At singula vestra principia iam sunt mixta, proinde ex tribus mistis nascetur mistum. Quomodo illa alteratione præcedente vniuntur, cùm sint perfectæ substantiæ, substantia autem substantiæ non aduersetur? Respondes de vestris principiis idem dici posse, quod Aristoteles de elementis: misceri, κατὰ ποιότητας οὐ κατὰ σώματα:

ſulphur enim calidum ſiccum à mercurio frigido humido temperari; Verùm ſali quodnam oppones principium? ſtabit ne ſpectator otioſus conflictus ſulphuris cum mercurio ipſe inalteratus? Scilicet veluti arbiter ſedebit & vtrũque coagulando litem componet. Rides Ariſtotelem quod ſcripſerit materiam per ſe non opponi formæ, ſed ratione priuationis; quidni potiore iure ridebit ipſe tuum tertium principium inalteratum miſceri quia non habet cõtrarium à quo alteretur? aut alterari ſine contrario. Verùm demus veſtra principia quanquam mixta poſſe tamen tota totis permiſceri, fateris tamen vt elementa, hoc eſt, ſecundùm qualitatem miſceri, non ſecundùm corpora: quia calidum ſulphur Mercurius frigidus temperat. At quod eſt cauſa cur quidpiam ſit tale, illud magis tale eſſe neceſſe eſt: ex te primæ qualitates ſunt cauſæ cur veſtra principia miſceantur: ergo primæ qualitates calidum, frigidum, humidum, ſiccum ſunt primæ & veræ cauſæ mixtionis, ſunt vera & genuina miſtorum omnium principia, quæ vocabis quomodo lubet, nos cum Ariſtotele primũ calidum appellabimus ignem, primùm frigidum aquam, primùm humidum aërem, primũ ſiccum terram. Sic veritas à ſuis aduerſariis inuitis aut aliud agentibus ſui confeſſionem extorquet.

Quod formæ phyſicæ à materia ſint inſeparabiles, proinde deſtructa materia ſimul deſtruantur.

SOla mens eſt ſeparabilis, quia ſola poteſt abſque materia ſuas actiones exercēre: intelligit enim abſque corporeis inſtrumentis, ceteræ formæ naturales ita ſunt alligatæ materiæ, vt ſine illā certo modo temperata & conformata orientur. Animus priuatus oculo videre non poteſt, cerebrum læſum in ſua temperie & cōformatione, aut actiones ſuas omninò nō edit, aut malè, hoc eſt, imperfectè vel deprauatè. Materiæ, craſis ita coniuncta eſt, vt differant ſola ratione, quare qui materiam tollit, ſimul temperiem & conformationem tollat neceſſe eſt: quæ ſunt duo obeundarum functionum præcipua inſtrumenta, quibus orbata forma phyſica, otiatur: At vos cum materia iſta duo principia corrumpitis, vt in illius ſinu eſſentiam perquiratis: ergo actiones quoque naturales iſtorum principiorum conſequentes ſimul corrumpitis; & in earum locum non naturales introducitis. Cæterùm quod inſeris ex Ariſtotele ignem nutriri fumo & vapore, iam diſſolui eodem auctore. Aliquando, inquit, ignem, qui nutritur, ex vulgari loquendi conſuetudine appellamus ignem, non eſt tamen ignis, ſed πυρώδης igni elementari ſimilis, naturalis ignis ſimulachrum. Propoſui argumenta quibus Ariſtoteles demonſtrat eſſe ignem elementarem,

cur non ſoluebas, ſi putares Ariſtotelis eſſe figmentum?

Nota argumentum ex Cenſore. O pugionem acutũ! Succus auctore Cenſore eſt animã plantæ: Atqui eſt ſeparabilis: ergo forma phyſica eſt ſeparabilis. Diſces domine examinator, quemadmodum Deus, quanquam vbique, tamen dicitur in cœlo ſedem poſuiſſe; quia vnũquodque illic potiſſimum eſſe dicitur, vbi illius poteſtas magis relucet: Ita quia vires plantarum potiſſimum inſident ſucco; propterea illic anima dicitur reſidere. Hinc illa contrauerſia inter Peripateticos & Medicos, vtra in parte potius reſideat anima, In corde an in cerebro, quamuis per totum corpus ſit diffuſa. Medici illius præcipuam ſedem reponunt in cerebro: quia illic τὸ ἡγεμονικὸν, phyſici verò in corde, quia illic τὸ ζωτικὸν.

Deſtructiones non infirmant noſtras artes, Vt neque culinaria. Iam tui clientes non ſemel vſi ſunt hac ſimilitudine: feres idem reſponſum, vos eſſe ſimiles malis coquis, qui non elixant, neque aſſant, ſed torrent & vrunt carnes. Secundò coquus reiectis partibus nutriendo ineptis retinet tantùm quod eſt edendo; ſeruata temperie, nec gloriatur ſe poſſe conſeruare formam deſtructa craſi cum materia. Si natura trahit, retinet, excernit miniſterio fibrarum diſcerptis fibris poſſitne vim trahendi, retinendi & excernendi integram conſeruare? Si natura vt bonus coquus beneficio caloris moderati elixat, Immoderato, vt febrili torret;

corrumpit, poteſtisne immoderato elixare? aſſare?

Relinquimus qualitates in elementis. Hanc gratiam vobis non debent elementa: quia ſi poſſetis illa vt mixta in veſtros furnos proiicere, omnia ignea redderetis. Iampridem ἐκπυρώσει mundus conflagraſſet, arderet totus veſtris ignibus.

Humores, &c. Reſipiſcis tandem & nobiſcum fateris vos quidem non extrahere eſſentias, ſed materiam à vobis in iſtas formas tranſmutari eo modo, quo natura tranſmutat pamen in chylum, ſanguinem in cor: tandem perdoluit, vir es. extractio. transmutão.

Quis verò eſt chymicus, &c. Iam monui centies non damnari à ſchola omnia chymica remedia, ſed quartam ſectam, quæ Hippocratis doctrinam ſubuertit.

Ad pag. 58.

Feror quo me rapit tempeſtas. Sciebamus hoc, quamuis non dixiſſes, non potes ſedere nec vno loco ſtare, adeò tibi prurit animus. Antigramania ſola ingenii tui leuitatem abundè demonſtrat, omnib uſque conuitiis reſpondet, quæ in ſcholam celeberrimam vomuiſti. Extat epiſtola contra Chymiſtas, qua tota noſtram cauſam agis, cui Michelius pro chymicis reſpondit. Quo libro te veræ Chymiæ ignorantiſſimum profitet ur. Conſenſus auctorum eſt fidelis teſtis veritatis, diſſenſio falſitatis: virtus enim eſt vna & ſimplex, mendacium multiplex.

Incertus finis. Si chryſopœi & chymiatri ſit idem finis, ipſi viderint. Scio chryſopœos ſuos labores alio quàm ad ſanandos ægros referre. Vocabulorum nouitas in artes tenebras denſas & confuſionem inducit; ſi res eadem, cur mutantur nomina? Verba enim, vt numiſmata, ab vſu vim & valorem accipiunt. Si dixero febrem ardentem fieri à bile, tu à ſulphure, quando præſcribam pharmacopœo cholagogum, vt intelligar, cogar ſcribere ſulphuritrahum: liceat vobis cum iſta verborum nouitate inſanire: interim dum nos vocabulis vtemur vſitatis.

Principio fluctuationem. Quæſtio erat, ſi aqua nutriret. Demonſtrabam primum ratione, deinde Hippocratis, Ariſtotelis & Galeni auctoritate non nutrire. Opponebat Bauchinetus Scaligeri & Rondeletii teſtimonia. Reſpondi malle me cum ſummis iſtis viris errare, quàm cum Rondeletio & Scaligero benè ſentire: quia peritis in arte credendum eſt: nec eſt temeritatis certius argumentum, quàm ab illis deficere. Probabile eſt quod videtur ſapientibus. Nemo eſt qui auctoritate minus moueatur, quàm ego. Vt erubeſcunt Iuriſconſulti ſine lege loqui, ita philoſophi ſine ratione, imò ratio eſt anima legis. De Scaligero ſentio & ſenſi ſemper magnificentiſſimè, quinetiam illum inter heroas referre ſoleo: pluris tamen facio Hippocratis, Ariſtotelis & Galeni iudicia tot ſeculorum auctoritate comprobata. Si Scaliger viueret, & audiret te ſummum dictatorem verita-

veritatis (ita enim solet Aristotelem designare) tot probris insectantem, propriis vnguibus faciem tuam dilaceraret: facilè pateretur se postponi Aristoteli, quem toties pro suo magistro agnoscit: cuius iudicio,

Ipse sapit solus, reliqui volitant velut vmbræ.

Ad pag. 59

Quasi licuisset alexipharmaca, &c. Hui! Quantas turbas! quantas rixas ista lana caprina excitauit! Scripsi apologiæ pag. 39. me alexipharmaca ad venena reuocare, quid obiicis post tuos clientes omnium ineptissime? *Imbecillitas quædam iudicij est, aut desuetudo loquendi.* Vbi acumen tuum? Tu ne aliò alexipharmaca reuocas, quàm ad venena? Habentne alium vsum? Quid est Alexipharmacum? Est remediũ venenorum, quemadmodum virtus fuga vitiorum. Qui dixerit virtutis præcepta referri ad fugam vitiorum, alexipharmaca ad depulsionem venenorum, laborabitne mentis imbecillitate? Cur quintò hanc crambem recoquebas, si nihil haberes noui, nisi vt te doctis ridendum propinares?

Ad pag. 60.

Stoici constituebant ignem vniuersi causam continentem, qui esset constans & permanens substantia. Peripatetici hunc ignem iustè explodunt, quia solis opifex calor esset inutilis: nam si sol calore suo generat omnia, quid opus

isto igne Stoicorum opifice? Vnus enim alterum excludit.

Aliud aliud. Aristoteles nihil tam odit quā tautologiam. Omnia vult dici semel. Iam mouisti istas quæstiones, illisque est factum satis, cur recoquis, nisi vt excrescat liber tuus in magnam molem?

Pagina 83. *Apologia.* Remedium hoc ipso, quod hostem naturæ depellit, est illi beneficū, sed in quæstione est, si potius deligendum sit contrarium morbo, vt frigidum remedium ad morbum calidum, an simile, vt sal ad morbum salis. Hæc quæstio iam proposita & discussa, non fuit recoquenda.

Solœcismum committit chymicum, quando conflat metalla ab elementis. Quando disces propriè & philosophicè loqui? Quercetanus peccauit in grammaticam: leue est peccatum, & in philosophorum schola tolerabile. At doctorem physicum peccare in prima physicæ rudimenta, intolerabile. Sunt quatuor causarum genera, quæ Aristoteles ita definit, vt materia sit ex quo, efficiens à quo res fit: Vt si dixero à sole ex elementis fieri metalla, verè & propriè loquar; verum si dixero ex sole ab elementis fieri, loquar ineptissimè: vnum est verum, alterum planè falsum & ineptum. Cæterùm mixta omnia etiam imperfectè mixta, vt meteora, quæ fiunt ex vapore & exhalatione, constant quatuor elementis, etiamsi vnum aliis manifestè prædominetur, vt aqua in pluuia, aër in vento. Quamuis Theophrastus appel-

let aquam & terram coniuncta metallorum principia, Aristoteles vaporem & exhalationem: tamen quia vapor est aqueus & terrestris, exhalatio ignea & aërea magis, concurrunt ad eorum generationem elementa omnia.

In Aristotelis lectione, &c. Quærebatur si sal chymicum non tantum esset naturale, sed etiam rerum naturalium primum principium, vt placet Quercetano. Sic obiiciebam: Vmbri & Chaoniæ incolæ inopia salis naturalis efficiebāt arte sales, quibus loco naturalis vtebantur. Subiungebam: Vmbrorum sales erunt artificiales vestri naturales? Exposui modum ex Aristotele. Respondes: Faciebant Vmbri sales, vt nos, non per coctionem arundinum, sed cinerum, ex clematis collatura decocta. Faciamus ita esse: hic modus meam obiectionem magis confirmabit. Illi suum salem efficiebant chymicè: erat tamen artificialis; quia supplebant arte defectum naturalis. ergo te iudice chymici sales erunt artificiales.

Cæterùm scripsi equidem Antiturqueti pag. 30. ex iuncis & arundinibus ab Vmbris fieri sales, sed scripseram definitius Apologiæ pagina 53. fieri eorum vstione, sic fit sal Alchali ex decoctione cineris Barillæ. At chaoniæ incolæ longe aliter: Nam certi fluuii aquam exponunt igni, cum efferbuit. deponunt ac refrigerant, tumque aqua, vbi liquor vna cum calore euanuit, in salē se vertit. Similis est fons in Burgundionum comitatu.

Pag.63. Antiturqueti. Prælo educimus succos quales natura dedit, extracti chymicè reddũtur intemperati. Nos tẽperamus, inquis, vt spiritũ vitrioli multa aqua. Respondet Libauius Antigramanicus: Spoliatis proprio & naturali corpore, vt vestiatis alieno. De spiritu vitrioli quã sit causticus, tu ipse testis es, tangentis digitos erodit, inquis. Vinum etiam dilutissimum, quamuis naturæ amicissimum febrientibus tamen noxium est. Spiritus vitrioli quantumuis dilutus non erit suspectus? Cæterùm oleis chymicis nos vti, in externis præsertim affectibus, quis negat? Habent in chirurgia suum vsum non aspernandum.

Pag. 64. Antiturqueti. Quæritur; Si Alchymia vitrioli & aquæ mixtione efficere possit aquas vitriolatas Spadẽsibus aut Pucensibus meliores: Tentarunt hoc impostores suo damno; poterisne tu? Non est verisimile: quia pertritum est apud Aristotelem; Natura miscuit, ergo non potuit melius. Demonstratio est, quod facultates naturales pendẽt à certo modo mixtionis, qui auctore Galeno soli Deo & miscenti naturæ cognitus est.

Sed nesciebat Galenus nasciturum Libauiũ, cui modus iste miscendi notior esset quàm naturæ: quia promittit aquas meliores quàm natura dare possit. Nobis satis laudi est, si dicamur naturæ ministri & imitatores; tu ne illius dominus & imperator? Natura, inquis, multas aquas ita miscet vt sint lethales. Quo fine putas à Deo datam homini prudentiam, nisi vt noci-

tura à letalibus ratione & ſenſu, guſtu potiſſimum & odoratu, diſcernat? Aquæ homini funeſtæ alteri animantium generi ſunt ſalutares. Cicuta homini venenum, ſturno & capræ alimentum: ſturnus & capra homini alimentum. Proinde cicuta, ſi non directè, ſaltem obliquè; ſi non primo, ſaltem ſecundo naturæ inſtituto dici poteſt facta à natura in hominis gratiam. Nihil tam amicum naturæ, quàm quod naturale. Poteſt ars vitrioli & aquæ miſtione naturam imitari; melius miſcere quàm natura ipſa ſine piaculo dici non poteſt. Quid eſt aliud Gigantium more bellare cum diis, quàm de perfectione cum natura, id eſt, Deo ipſo contendere?

*Pag.*67. Non poſtulo aliud argumentum tuæ calumniæ, quàm quæ ſcripſi eiuſdem diſcurſus paginis 69, & 71. Quibus demonſtro non agi de viuentibus (quanquam Quercetanus etiam mortua putet viuere) ſed de inanimatis, quorum actiones naturales, quæ manifeſtè à temperamento dependent non ab anima abſente, à vobis cum materia deſtruuntur. Si fortè nominaui quæ vixerũt, viuentia, nominaui ad mentem reſpondentis. Ariſtoteles etiam in ſtercoribus animalium putat aliquid caloris vitalis reſidere, à quo tot inſecta, crabrones, ſcarabei, veſpæ. Iſtæ argutiæ ſunt indignæ viro bono.

Ad pag. 62.

Quando ceſſabis hanc cramben recoquere? Homogeneum illud quod coquus retinet, vos

corrumpitis: quia crasim, formam, vires &c. proprietates illi eripitis. Non conqueror de materia corrupta, sed quod cum materia temperiem, formam & naturales facultates necessario corrumpitis spirituum extractione: quæ omnia retinent nostri pharmacopœi infusione & decoctione.

Natiuus calor. Hæc quoque crambe sæpius recocta est. Nos conseruamus naturalem temperiem, quam vos in intemperiem conuertitis; proinde sumus amici, vos hostes naturæ. Nucis muscatæ moderatum calorem retinemus, vos in igneum transmutatis. Si fortè vsus postulet ignea, natura ipsa eorum infinitam copiam nobis suggerit. Possumus pro necessitate quodlibet seligere. Istis tautologiis abuteris patientia lectoris

Aliud vituperium. Cur hactenus tam obstinatè contendisti materiam capacem in mercurium, sulphur & salem non conuerti, sed inesse actu non aliter quàm elementa, aut materiam & formam? Nam principia constituentia manere oportet in re constituta. Demonstraui non aliter inesse mixtis quàm chylum in pane, aut cor in sanguine.

Cùm modus, &c. Eadem est quæstio cum superiore. Destruitis mixta; quia illorum formas, crases & facultates diripitis. Nos vtimur rebus prout à natura exhibentur, id est, seruata naturali temperie, forma & proprietate.

×conyt pluscela

Ad pag. 62, 63.

Contra ſeparationem Chymicam, &c. Quemadmodum ens vel eſt ſubſtantia vel accidens, ita ortus & interitus omnis vel eſt ſubſtantiæ vel accidentis. Atque vt ſola ſubſtantia propriè & ſimpliciter dicitur eſſe, accidens impropriè & ſecundum quid: συμβεβηκὸς enim dicitur quaſi σὺν ἄλλῳ βεβηκὸς, Ens in alio. Ita ortus & interitus ſimplex eſt ortus & interitus ſubſtantiæ: Dicitur enim abſolutè homo natus, genita planta, cum adiuncto verò homo factus niger vel calidus. Qemadmodum autem concurrunt quatuor elementa ad generationem mixtorum (nam ad generationem animalium perfectorum concurrunt cum ſemine ignis & aër, cum ſanguine aqua & terra, ad generationem plantarum cum ſucco nutriente terra humore perfuſa ſpiritu & calore prædita: ad generationem metallorum cum vapore aqua & terra, cum exhalatione ignis & aër) Ita in eadem recidunt omnia, redduntur que ſuæ primæ materiæ, niſi in alios vſus natura illa tranſmutet, vt ſi cadauer aut plãtam putrentem in vermes transformaret, ſed vermes tandem in eandem materiam diſſoluentur: interitus enim mixtorum erit tandem aliquando ortus elemẽtorum. Niſi enim illa ſuis totis reunirentur, breui ceſſaret generatio: quia omne finitum detractione finiti tandem conſumitur. Interitus hominis eſt ortus cadaueris, interitus ſimplex, quia priuatio eſſentialis formæ,

ortus ſecundùm quid; quia mutatio in accidentariam & ignobiliorem. Cadauer caloris alieni victoria in humido, putreſcens, diſſipato vtroque humido paulatim ſicceſcit, abitque in cineres; eoque modo futura ſunt reſolutionis vltima eadem quæ fuerunt compoſitionis prima elementa, quæ in conſtitutione & diſſolutione non tantùm ratione, ſed ipſo ſenſu ſunt conſpicua. Neutro veritatis crititio veſtra patent. Nos, inquis, colligimus expirationes, & conuertimus exhalationem in ſulphur, vaporē in mercurium, fœces in ſalem. Sed relinque diſſolutionem naturæ, diſſoluentur ne planta & cadauer in ſulphur, mercurium & ſalem? Doctè ergo ſuperius ſcripſiſti: Noſtra principia ſunt (pro chymico) chymica, non phyſica ō pro phyſico.

De magiſterio perlarum. Aurum potabile proponitur veluti eſſentiarum idea: Atqui non fit ſine corroſiuis: reliquarum quis vſus eſſe poteſt? Malim pulueratum aut foliatum. Cur enim vna gutta in liquore millecuplo exhibetur, niſi vt vis corrodens ſuperetur? Tanti pœnitere: Medicus bonæ notæ illius vſu frequenti elephantiaſin induci annotauit, iecore & ſanguine exuſtis.

Pag. 50. Antarueti. Extant Syluii & Fernelii antidotaria dogmaticis remediis refertiſſima, ſed chymicis nullum dederunt locum. Eorum quidem obiter meminerunt, ne viderentur ea ignoraſſe, ſed tanti non fecerunt, vt ordinariis præferenda eſſe exiſtimarent. Lege Fernelii cōſilia pro grauiſſimis & deploratis morbis. Sæpe

deſcribit olea nerualia, non chymica, ſed vulgaria; qualia vult parari incoctis neruialibus in oleo & vino ad conſumptionem vini. Non pręſcribit oleum ſaluiæ, caryophyllorum, nucis muſcatæ chymicum, ſed cum herbis neruialibus illa coquit, addendo nonnunquam loco vini aquam vitæ. In praxi Meſuei nullum reperi chymicum remedium, neque tamen nos ea tam vituperamus, quàm tuus cliens noſtra ordinaria. Satis nobis eſt ſi ad Pharmaceuticen ſuo loco & ordine referantur, non conſtituant quartam ſectam ab Hippocratica differentem.

Cum triticum, &c. Quàm tu es importunus coqui & piſtoris ſimilitudine: feres idem reſpõſum: ſoleo enim (vt olim Socrates) eadem de iiſdem. Piſtor reiectis ſuperfluis & nutriendo ineptis partibus retinet tritici aut hordei portionem alibilem, in qua manet craſis, cum craſi naturales facultates. Argumento eſt panis hordeaceus, qui etiam triplici coctione alteratus (vide vt calor benignus conſeruet mixti tẽperiem) vniuerſum corporis habitum nihilominus refrigerat: panis ex tritico leuiter calefacit; prout ferebat integri tritici temperamentum. Idem faciunt pharmacopœi noſtri ſuis infuſis & decoctis, non chymici ſuis extractis violentis.

Ad pag. 64.

Vim purgatricem. Quando tantologiis ſtatues modum? Hoc iam propoſitum & diſcuſſum. Verum eſt accidens non poſſe ſubſiſtere ſine aliquo ſubiecto, ſed poteſt de ſuo in contiguum

migrare; vt calor ignis in aërem interiectum: calor mixti in aquam aut oleum, Immateriales soni internuntio aëre transmittuntur ad aurem, odores ad odoratum, etiamsi nulla substantia ab odorabili exhalet. Gustus quidem & tactus sapores & tractabiles qualitates excipiũt immediatè cum materia, visus, auditus, fortassis etiam odoratus mediatè sine materia. Hinc illæ quæstiones: Si vis magnetis ferritractrix, transmittatur ad ferrum irradiatione solâ an cum effluuio. Si cerebrum suas facultates per neruos tam densos transmittat quoquouersum per modum irradiationis, an vehiculo spiritus animalis. Vix enim probabile est tantam spirituum copiam demitti à cerebro ad singulas partes pro motu & sensu tam vario & tam frequenti: possum enim ad nutum singulos pedum & manuum digitos simul mouere. Præstone sunt vectores spiritus, an facultas vt radius affulget?

Tertij generis cathartica. Memineris decreti summi præceptoris: Omnia semel. Perpetuò eandem cautilenam canis, huius doctrinæ citaui Mesueum auctorem. Voca illum in ius coram tuis Areopagitis.

Pag. 44. discursus. Scripsi equidem nos clysteres & suppositoria acuere sale Gemmæ, sale Indo, & sale communi: sed purgatorios sales à nobis per os non exhiberi: quia purgant tantùm irritando. Quæ necessitas est salium cùm suppetant meliora? Præsertim salium vestrorum, quos constat esse causticos, & cauteriis

conficiēdis magis aptos quàm humoribus purgandis.

Pag.52,53. In disputando non est grauius peccatū, quàm migrare de genere in genus. Schola teprobauit extracta mineralia, quæ tui clientēs nostris benignis præferebant. Reprobauit, inquam, extracta, quæ Libauius negat tegi posse à natura potius quàm venena. Proponis alterum genus extractorum, quod non reprobatur; quamuis infusum illi à nobis præferatur; quia est operosius, carius, & cæteris paribus minus efficax: quia simplum in infuso magis purgat quàm duplum in extracto. Adiunxi rationem, quod duplici coctione de vi purgatrice non potest aliquid non deperire, præsertim quando vis purgatrix sita est in spiritu, qui coctione etiam blanda plus minus exhalat. Cæterùm duabus causis docui à nobis præferri solidiorem formam spirituali, quando è lōginquo, vt de cerebro trahendum. Priore: quia ad trahendum de partibus à ventriculo longè dissitis opus est mora,

Spiritus volatilis citius vanescit quàm operationem absoluerit. Posteriore: quia ad trahēdum opus sit contactu: omne enim agēs physicum agit tangendo. Non est verisimile tam paucam essentiam quoquouersum ferri ad vniuersum corporis habitum, vt humorem peccātem attrahat tangendo. Quæris quo modo catharticū in ventriculo subsistēs tangat humorē quoties abest longissimè. Respondeo: tangere physicè non mathematicè; vires & qualitatem

potius quàm substantiam transmittere. Quæritur, si vim purgatricem cùm sui spiritus vehiculo transmittat, an vectore potius ægrotantis spiritu, qui ministret animæ; procuratque suã cum totius conseruatione. Sed quæstio ista est physica potius quàm medica, contemplationis potiusquàm actionis; quia non confert ad melius medendum scire quo vectore vis purgatrix ad partem affectam & humorem morbificum deferatur.

Veritatis potius quam salubritatis

Ad pag. 64.

Quas verò nobis, &c. Qui dicit catharticum solidiore forma è remotis partibus potentius purgare; non excludit infusum aut decoctum. Experientia docet colochintidem, scamonium & elleborum data forma solida, vt catapotiorum aut tabellarum è longinquo potentius purgare: quia interim dum morantur in ventriculo vim purgatricem ad humorem purgandum faciliùs transmittunt, qui attractus ad sentinam excluditur ab excretrice humoris putris copia grauata & acrimonia irritata. Rhabarbari infusi & extracti duæ dragmæ vix præstabunt, quod vna dragma pulueris: Infusio granorum duodecim scamonii clementius quidem, sed minus purgabit, quàm eiusdem grana sex conseruæ alicui permista.

Vexat chymiatros, &c. Paradoxum est Paracelsi illius discipulis, clientibus tuis, vt verisimile est, probatum. Cùm Hippocrates scripsit naturam esse medicatricem, non esse intelligẽdam ægrotantis naturam, sed medicamenti:

quia nouit ſcientia infuſa quid, quantum & quo modo agendum ſit. Nos verò in meliori ſchola inſtituti, ſcimus vim medicamenti otiari, niſi à natura viuentis ad actum excitetur, ſcimus illius vim tam alteratricem quàm purgatricem, veluti inſtrumentum ab artifice, à natura gubernari: quæ illius motus & actiones dirigit, vt pictor penicillum. Quemadmodum ergo ſi dederis artifici inſtrumenta operationi inepta, ſuo officio probè defungi non poterit: ita niſi offeratur naturæ catharticum quod cõueniat humori purgando, non purgabit, quale oportet: deiectiones autem non ſunt quantitate, ſed qualitate æſtimandæ.

In lapide lazuli. Hæc quæſtio, ſi vis purgatrix tranſmitti poſſit in liquorem ſine ſpiritu, non fuit iteranda: nam diſcuſſa eſt etiam te auctore.

Magis paradoxum. Scripſi non ſine cauſa, olim diſputatum, ſi odor exhalet ab odoratis, id eſt, vectore ſpiritu feratur, an per modum irradiationis, ſi malis, ſitne qualitas immaterialis, vt ſonus & color qui oculo & ſpeculo excipitur, an materialis vt ſapor. Videtur immaterialis eodem planè argumento quo ſonus: nam vt ſonus idem à mille millibus ſimul eodemque tẽporis momento exauditur, ſic odor. Quod ſi eſſet materialis, tranſmittereturque cum ſpiritu aut alio effluuio, poſſetne à tam multis idem ſimul percipi, quamuis à ſe inuicem diſtent lõgiſſimè? Vultures & canes ex eo veſtigio quod qualitas immaterialis reliquit in aëre, prædam venantur, non potuiſſet vehiculum in aëre per-

flato, tandiu permanere, neque posset tamdiu res odorata perstare integra, si cum aliquo sui effluuio odorem emitteret: quamuis enim à nemine sentiatur, nihilominus continenter odorem emittit. Indignus ne vindice nodus?

Plantæ & animalia eorumque partes vix vnquam veniunt in vsum medendi, quamdiu viuunt. Remedia tam alterantia quam purgantia, eaque tam simplicia quam composita, quæ prostant in Pharmacopoliis vixerunt magna ex parte, non amplius viuunt. Obiicis vinum in quo vipera extincta est, mederi leprosis. Ad compositionem theriacæ illam expeti viuam. Quid tum postea? An viuit in medicato vino, aut in theriaca assumpta vel admota? Viua vulpes incoquitur oleo vt fiat oleum vulpinum, an viuit in oleo? Animalia rapacia nutriũturne viuentibus? Vorantne animam cum corpore? Si esset anima mundi diffusa per vniuersum, si spiritus ille vitalis, quem in sinu materiæ tam studiosè perquiritis, cum alimentis ederetur, nutriremur viuente: At vanescit soluta temperie, soluta harmonia fugit; tu virentes & viuentes plantas sæpius edisti: virentes quidẽ edisti non viuẽtes, si inciforiis dentibus & molaribus illas ventriculo præparaṙis. Physica præcepta satis est in pluribus esse vera. Cũ scripserim viuentia rarò venire ad vsum medẽdi, cur obiicis rata & inepta?

Subiungis sophisma non prætereundum: *In vsu medendi sunt operæ quæ homini præstantur ab hominibus.* Declaro: Pharmacopœorum operæ veniunt ad vsum medendi: atqui viuunt Pharmacopœi: ergo aliquod viuens venit ad vsum me-

dendi. Opifex remedii pro remedio quis elenchus? Si candidati nostri tam ridicula obiicerēt, à foribus nostræ scholæ arcerentur.

Pag. 102. Ita scripsit Riolanus: Da vitrum antimonii ægrotanti, susque deque vacuabit humores tam difformes, vt spectatoribus admirationem moueant. Hoc tamen fecit natura (legendum, hoc, non hos) à vehementia cathartici conturbata. Conferantur ista cum Libauii Antigramanici sententia de catharticis mineralibus iam sæpè transcripta, eadem planè erunt.

Ad pag. 66.

Pag. 138. Amicus Hippocrates, sed magis amica veritas. Sūma gratia debetur primis artium inuentoribus, sed facilè est addere inuentis: αὐτοψία enim quotidiè multa detegit, quæ maiores nostri ignorarunt. Venæ Mesaraïcæ desinunt in truncum qui Porta dicitur; quia per hanc portā chylus ingreditur officinam iecoris, vbi facultate sanguifica vertitur in sanguinem, moxq; demittitur in venam cauam, à vena caua citra cōtrouersiam descendit ad nutritionem inferarū partiū: neq; enim necesse est prius ferri ad cor: quia nutriuntur crasso, non spiritali sanguine. Quod si sanguis alimētarius à corde per arterias quoquouersū distribuatur, sitq; cor fons ἀναδόσεως, quis vsus venarū? eruntne αἱματώσεως instrumenta? Distinguendus fuit arteriosus sanguis à venoso, alimentarius à vitali: quia verum est vitalem per arterias distribui à corde, alimentarium per venas à iecore.

Claudicat comparatio, &c. Præstat comparare tria vini excrementa cum tribus excrementis

ſanguinis, fæces cum fæcibus, ſerum cum ſero, florem cum felle, quàm cum naturalibus & alimentariis partibus maſſę ſanguinis. Fęcem cum ſucco melancholico, ſerum cum pituita dulci; florem cum bile naturali: quia tres humores iuncti ſanguini efficiunt vnum corpus, quo ſingulæ partes nutriuntur, nec minùs ſunt nutriendo neceſſarij, quàm propriè dictus ſanguis: excrementa autem vini & ſanguinis ſunt inutilia, propterea excernuntur à natura: illi verò tres humores conſeruantur vt alimenta. Tu obiicis, Quidni vinum merum cum mero, nempe arteriali ſanguine comparabitur? quæſtio eſt, Si tria vini excrementa meliùs cum tribus alimentariis humorib. cōparentur à Quercetano, quàm cum tribus excrementis ſanguinis à Riolano. Quorſum comparatio meri vini cum ſanguine mero, ſi neutri adſint excrementa?

De opio. Quercetanus affirmat ſummè frigida, vt cicutam & papauer, non frigore, ſed ſulphuris fumis ſomnum conciliare: eademque vi opium ſtupefacere. Scribis aliquid ſimile aliquando tibi contigiſſe aſſumptis pillulis de Mezereo. Verùm fumi ſulphurei bilioſis ſunt analogi, à quibus ægri peruigiles: Comatoſi enim fiunt à cauſa frigida, ſyrupi de papauere & de nymphæa, pillulæ de cynogloſſa (eſt opiũ correctum) temperant feruorem bilis ſuo frigore, à quo ſomnolentia: Narcotica enim differunt tantum ratione à caroticis. Dicuntur autem anodina, quia tollunt ſenſum doloris: illa

enim tam sumpta quàm admota stupefaciunt; non tollũt omnino dolorem, quia relinquunt causam doloris. Si fumi excitati à pillulis de mezereo tibi somnum conciliarint, idem fecerunt quod vapores vini; qui quantitate non qualitate somnum conciliant. Humores concitati, vaporibus tuum cerebrum repleuerunt. Cæterùm quomodo opium possit esse amarũ, cùm sit frigidum, copiosè disputaui Examinis pag. 124, & 125. & discursus pag. 159. Valeriola quoque hanc quæstionem aduersus Galenũ disputauit: eandem Valesius in contrarias partes exagitauit. Nolo toties actum agere. Vinũ & Castoreum esse duo opii correctiua scripsit Conciliator.

Ad pag. 67.

Ad pag. 77. *De sapore nugatur.* Obiecta sensuum color, sonus, odor, sapor & tractabiles qualitates, quanquam sint actiua, tamen non percipiuntur à suis sensoriis, quia talia, sed quia patibiles qualitates. Sapor, etiam rei calidissimæ aut frigidissimæ non gustatur, quia talis; sed potius, quia humidus: humor enim est qualitas patibilis, cuius causâ gustantur sapida, quæ carent humore sunt insipida, imò lingua arida non gustat, Acria quoque & caustica non gustantur, nisi quia sua acrimonia linguam vellicando saliuam excitant, quâ internuntiâ gustatur sapor. Cliens tuus referebat ad actiuã qualitatem; ego malo ad patibilem, quia gustatur, quatenus humore participat, non calore aut frigore: Quatenus calidum aut frigidum tactum

afficit, non guſtum, niſi fortè quia guſtus eſt tactus quidam.

*Pag.*29. Forma vel eſt temperies eo ſenſu quo à Platone anima dicitur harmonia, aut temperiem proximè ſequens eſſentia. In ea quæſtione ſi fuerit dubius Galenus non eſt mirum: Fernelius primo de abditis rerum cauſis ideo nos verſati in denſis ignorationum tenebris exiſtimat; quod rerum & actionum veram & primariam cauſam ignoremus. In natura enim finis, forma & efficiens re vnum ſunt, ſola differunt ratione. Forma eſt efficiens, id eſt, principium omnium rerum & actionum naturaliũ. Prima forma primum efficiens. Atqui nõ tãtùm prima illa forma ignoratur, ſed etiam rei cuiuſque particularis forma qualiſnã ſit, cuius naturæ, cœleſtis ne an elementaris magna phyſicorum diſſenſione controuertitur. Scimus quidem ὅτι, quod omnis actio à forma; ſed quæ & qualis illa ſit diuinamus. Galeno videtur elementaris, quia nihil ſit quàm harmonia nata ex mixtione elementorum. Verùm quamquam Plato in Timæo ſcripſerit animam eſſe harmoniam, aliter tamen ſentit in Phœdone: quia harmonia ſit accidens, forma vero ſubſtãtia cum materia totum conſtituens. Cùm Ariſtoteles in metaphyſicis demonſtraret motus omnis principium pendere à forma: hanc autẽ eſſe ſubſtantiam, exclamauit Aphrodiſeus nihil potuiſſe à natura mortali dici diuiniùs. Veteres enim phyſici deferebant principatum materiæ non formæ, quos propterea paſſim materiales

physicos Aristoteles appellat. Heraclitus igni, Anaximenes aëri, Thales aquæ, Pherecides terræ, Empedocles his quatuor elementis, Democritus vester atomis. Empedocles quidē agnouit concordiā & discordiā præter elementa, vt efficiētes causas. Verū vt Aristoteles obiicit, sunt accidentia. Non est verisimile accidentia esse substantiarum principia: quia non existunt per se, suntque substantiis quatum beneficio existunt, posteriora. Est igitur forma efficiens, prima forma primum efficiens, à qua primus motus qui est causa vitæ omnibus quæ natura fecit, est in libris Cœli. Atqui forma substātia est, causa cur vnumquodque sit id quod est, dat cuique suum πέρας, quod nobis ignotum ingenuè confitemur: vobis autem tam notum est quàm domino sua domus: estis enim formarum si non datores, saltem extractores: Illas abstrusas & in gremio materiæ latitantes eruitis & in apertam lucem euocatis, nec videndas modò, sed etiam gustandas exhibetis. Quid potest vobis esse ignotum hoc cognito principio? Videtur Fernelius fuisse malus chymicus, qui tantopere conquestus sit de ignota forma.

Fingamus ergo. Ignoratio veræ philosophiæ istas quæstiunculas peperit. Aristoteles in libris de motu docet aliud esse formari, aliud formatum esse, quia res formatur in tempore, formata est momento. toto illo tempore quo formatur, materia ad suscipiendam formam præparatur: formationis extremo momento τέλος ἔχει, cum forma finem habet & perfectionē.

Hæc, ſua præſentia materiam prius indefinitam definit, innominatam denominat, & in certam ſpeciem adducit: toto tempore formationis qualitas elementi prædominantis materiam præparabat, quæ, introductæ formæ, mox incipit miniſtrare. Illa vtitur craſi, (vtpote calore vel frigore) tanquam inſtrumento. Ariſtoteles docet contra Empedoclem caloris violentiam regendam fuiſſe à natura meliore, quià alioquin in agendo nullum teneret modum. Obiectum, vt humidum primigenium, ſine modo popularetur, non aliter quam ignis lignum in camino, niſi forma ſtatueret illi modum, eumque in officio retineret.

Præter multa abſurda. Hæc crambe fruſtra recoquitur, quia iam reſponſum eſt elementa tranſmutari ad generationem mixtorum, mixta autem incompleta ad meliorem finem contendere, ideò chylum in ſanguinem, & hunc in carnem conuerti. Sed entia perfecta, vt bouem, plantam, metallum non mutari in aliam ſpeciem perfectam. Quò pertinet illa quæſtio, Si magi, etiam opera Dæmonũ, poſſint tranſmutare rerum ſpecies, vt virgam in ſerpentem Apuleum in aſinum.

Pag. 42. Apologiæ. Scripſit Galenus non eſſe morbum acutum ſine febre; ipſemet tres excepit, Apoplexiam, Tetanum & cholerã morbum, quos recentiores Medici perperacutos veriùs quàm acutos nominant. Atqui eſſentiæ chymicæ, quia igneæ, nocent febrientibus, quandoquidem vinum etiam dilutum, quamuis na-

turæ valdè gratum illis est noxium. Sit igitur hic Galeni syllogismus: Essentiæ, quia igneæ, nocent febrientibus, etiamsi temperentur: Quicunque laborant acuto morbo (si excipias Apoplecticos, tetanicos & cholera morbo vexatos) febricitant: ergo, his tribus exceptis, essentiæ chymicæ morbis acutis non conueniunt; quanquam ne hos quidem morbos absolutè excipio: quia nocent apoplexiæ sanguineæ: neque conueniunt choleræ morbo, si à causa putata nomen habet. Si non conueniant acutis, quibus conueniẽt? Leuibus enim morbis vehementissima remedia non sunt apta: quia paruo pedi malè quadrat magnus calceus.

Aristotelem sophisticè allegat. Scripsi ex Aristotele satis esse si physica præcepta in plurimis sint vera: πάντα γὰρ τὰ φύσει, inquit ille, ἢ ἀεὶ οὕτω γίνεται, ἢ ὡς τὸ πολὺ. Apello naturalia quæ vel fiunt semper, vel vt plurimum, quod ita demonstro: Scientiarũ ἀκρίβεια potissimum dependet ex constantia subiecti: Metaphysicã idcirco Aristoteles certissimam esse probat, quod in subiecto versetur immutabili non tantùm καθ' ἀφαίρεσιν, sed etiam reuera immateriali. Mathematicæ scientiæ idcirco iudicantur physicis certiores, quia res suas abstrahunt à materia & materiæ circumstantiis. Quo enim artis subiectum inclinat magis in materiam, & qualitates materiam consequentes, eo ars est incertior. Hoc argumento de mathematicarum artium certitudine iudicatur: nam quæ in materiam magis inclinant, vt Optica, Catop-

trica, musica, architectura, habent incertiora præcepta, quàm quæ ab illis circumstantiis res suas abstrahunt, vt Arithmetica & geometria. Eodem argumento artis physicæ præcepta, quia communiora, præceptis medicinæ iudicantur certiora. Physica versatur in generaliori subiecto & paucioribus circumstātiis obnoxio. Physicus habet scientiam & veritatem pro fine: bono contentus est voluptate illa animi quæ percipitur ex cognitione causarum naturalium. At medendi scientia ad vsum veluti ad finem refertur: Medicina est ars practica, cuius theoria refertur ad praxin. Dum artifex ad particulare subiectum generalia præcepta accommodat, sæpè cogitur illa immutare. Sit hoc artis præceptum generale: Febrientibus interdicendum vino: occurrent circumstantiæ quæ cogent medicum febrienti vinum concedere, vt ætas, si iam habeat pedem in cymba, virium summa imbecillitas, febris cacoethia, ventriculi summa cruditas, consuetudo, &c. Denique tot occurrũt Idiosyncrasiæ, indiuiduorum particulares naturæ, quibus generalia præcepta accommodari debent. (Curatur enim Socrates non homo.) Tot sese offerunt diorismi, vt vix sit vllum medicinæ præceptum quod sit perpetuo & in omnibus verum; satis est, si plerumque & in pluribus fuerit verum.

Quis est ille magister, &c. Hanc quæstionem variis locis disputaui, diffusius Examinis pag. 169, 171, 172, 173. Vbi hoc exemplum protuli: Nulla propositio in tota physica est certior,

quàm hominem esse animal rationale: est enim definitio. Hanc tamen refellunt non phrenetici aut melancholici, quia tales sunt accidente, sed idiotæ qui nascuntur fatui.

Pag. 80. *Apologia.* Vapor est aqueus & terrestris exhalatio, si spectes substantiam, aëria, si qualitatem, ignea. Mallem disputasses pro tuo cliente, si morbi potius ab immoderatione trium principiorum chymicorum oriantur, quàm ab excessu aut defectu primarum qualitatum. Si vires & proprietates remediorum certius dignoscantur signatura physiognomica quàm sapore aut odore; Aut tuum clientem excusasses, quòd tam ineptè spiritus minerales cum astralibus compararit. Plurimæ tales quæstiones magni momenti sese offerebant, quas intactas reliquisti; & quæstiunculis decies repetitis lectorum animos obruisti. cuius est imago hæc? furis, impudentis.

Sola mens, &c. Quamuis interpreteris mentẽ, animam rationalem, nihilominus verum erit, solam mentem cœlitus aduenire, solam esse separabilem & immortalem, cæteras connasci & commori materiæ. Si generationis humanæ modus comparetur cum generatione bouis, vterque videbitur eodem modo formari. nulla forma extrinsecus adueniente, sed ex materiæ crasi à cœlesti calore suscitari; proinde præstat cum Aristotele mentem distinguere ab anima, vt metaphysicam formam à physica, immortalem à mortali. non physicitus, positum, dividere

Pag. 70. *Apologia.* Explicaui iam qua ratione succus dicatur anima plantę: explicaui etiam

ſi temperies, an proximè temperiem ſequens eſſentia ſit principium actionis. Eſſentia ſequēs temperiem eſt forma phyſica, quæ vtitur temperamento tanquam præcipuo inſtrumento ad obeundas functiones naturales: forma eſt principium quod, temperamentum principium quo.

Ad pag. 68.

Pag. 45. *Apologiæ.* Quæ temperamento ſunt calida, non ſunt actu ſed potentia calida. Hæc potentia manet otioſa, niſi promoueatur ad actum à calore viuentis: excitata agit contactu ſi non mathematico, ſaltem phyſico.

Pag. 78. Platonici mundum appellant magnum animal, totam infuſa per artus mens agitat molem, vt ait Platonicus Poëta. A qua ſententia Ariſtoteles non videtur recedere, quando ſcribit in libris Cœli nihil eſſe pulchrum & perfectum abſque anima, mundum autem eſſe numeris omnibus abſolutum.

Verùm Plato exiſtimat totum mundum reuera eſſe animatum; Ariſtoteles cœlum quidē & aſtra reuera eſſe animata, quia mouentur ab anima intelligente, elementarem verò mundū potentia duntaxat ſeu participatione.

Cæterùm aliud eſt animam rationalem cœlitus per aërem in corpus demitti, aliud manere in aëre; manere oportet quod informat: Immateriales formæ, vt Angeli, Dæmones, hominum intellectus, percurrunt aërem non aliter quàm radius ſolis, à quo ſimul eodemque tempore totum hemiſphærium illuſtratur, nō

ſucceſſiuè vna parte prius, altera poſterius. Formæ metaphyſicæ inquam, vtuntur interiecto aëre tanquam non ente, quia non reſiſtit. Quo modo magis præſto ſunt Dæmones, quanquã locorum interuallis valdè deiuncti, eorumque audiunt ſuſurros, & mox concurrunt ac ſi eſſent contigui. Motus iſte ſubſtantiarum incorporearum σχετικὸς dicitur, ſeu κατὰ σχέσιν, vt corporearum καθ' ἕξιν. Differunt, quod incorporea mouentur momento per medium minimè reſiſtens, quod idcirco habet rationem non entis. Intellectus propter σχέσιν, tam facilè & tam citò excipitur à materia præparata, quã ſolis imago ab oculo aut ſpeculo inanimato.

Pag. 31. *Apologiæ.* Aurum facultatem vitalem roborat vt medicamentum, non roborat vt alimentum, quia aſſimilari non poteſt viuenti, propter cauſas iam ſæpè explicatas.

Hæc quæſtio diſputata eſt & argumentis infinitis confirmata Antarueti pag. 673. & amplius pag. 141. examinis. Cur non ſoluis tot argumenta? Obiicis idem planè quod Bauchinetus: Aëre nutriri ſpiritus, humores aqua. Reſpondi ſolas partes verè & propriè nutriri. Nutriri autem mixto, non vno & ſimplici elemento. Earundem quæſtionum tam frequens & tam inordinata repetitio, auget ſuſpicionem precarii auxilii, quod abſque ordine in hanc farraginem intruſiſti.

Pag. 11. *Apologia Hippocratica.* Quàm tu es importunus tantologiis! Millies inculcatum eſt penes medicum eſſe ſcientiam & imperiũ,

penes chirurgos & pharmacopœos operationẽ & obsequium. Cur recoquis hanc cramben, si nihil habes noui? Reponam tibi quod scripsisti aduersus Gramanum pag. 768. *Quod nos ipsi non præparemus causa est magistratus, qui voluit in publicum consuli vt sciretur quæ medicamenta conficiant medici: Tu vstulatam conscientiam geris, cùm tua tam arcana seruas, quàm sacra eleusinia.* Aduersus Gramanum laudatur consilium magistratus de distinguendo medico à pharmacopœo, contra Riolanum vituperatur: Veritas est simplex, mendacium multiplex.

Medicamentum eò meliùs quò familiarius. Hæc quæstio disputata quoque fuit pluribus aduersus Bauchinetum, à quo extorsit tandem veritas, cæteris paribus semper esse præferendum benignum & naturę amicum remedium: Quãdiu potero expugnare morbum cassia, manna, senna, rheo, abstinebo à Diagrediatis; si possim Diagrediatis, cauebo à mineralibus extractis; quia omne violentum aduersatur naturæ; cuius nos ministros esse oportet. Natura melius & facilius regit motus benigni quàm violenti remedii.

il faut pousser le paresseux mais ō le ... a bas
il faut faire pont d'or.

Tutissima sunt vulgaria remedia. Obtrudis iterum obseruationes Rulandi: repono tibi meas. Obseruaui à triginta quinque annis plusquã mille ægros agarico & senna à magnis morbis liberatos. Transcripsi non semel Libauii Antigramanici iudicium de extractis mineralibus. Cupio aureis literis Cratonis de illis sententiã describi: *Abbreuiant vitam, etiamsi ad tempus*

prodesse videantur. Censor iste qui tibi videtur fatuus, quia timidior, mauult peccare in defectu quàm in excessu: quia peccatum in defectu facilè potest emendari iterato remedio, aucta dosi, aut paulo vehementiore exhibito: At in excessu non licet bis peccare. Hanc tibi debemus gratiam, quòd tuis doctis rationibus reuocaris nos ab vsu mineralium extractorum.

Naturam & animam artificiosè distinguit. Vt duæ sunt primæ differentiæ corporum, ita totidem differentiæ formarum naturalium Anima Aristoteli est forma corporum organicorum, vt animalium & plantarum: Natura similarium, vt lapidum & metallorum. Hinc illa quæstio inter Stoicos & Peripateticos magna dissensione disceptata: Si natura an anima regat plantas. Peripateticis videntur animatæ: Primo: quia sunt organicæ: secundo, quia nutriuntur & accrescunt, non per appositionem, vt lapides & metalla, sed secundum omnes dimensiones simul: tertio quod procreant sibi simile, quod est inanimatis denegatum. Stoici verò & quidam ex Platonicis negant plantas potius viuere quàm metalla: quia animata diiudicant αὐτοκινησίᾳ, idque solùm putant animatum dici debere, quod insito principio potest semetipsum mouere loco. Atqui plantæ radicibus humo affixæ stant immotæ, nec potius quã lapides semetipsas possunt dimouere: Quercetanus tuus cum Paracelso existimat metalla viuere, proinde animata esse: quia vita est primus actus animæ: cur in isto paradoxo defen-

dendo ingenium tuum non exercebas, potius quàm ſcriberes hæc ridicula, quæ apud viros doctos te rudimentorum phyſicæ planè ignarum demonſtrant.

Anima eſt forma corporum ſimilarium. Quomodo hoc probas?

Quis enim procurat videndi facultatem, aliaſque ſenſuum? Anima eſt forma lapidis, quia procurat illi facultatem videndi. Eſtne vnquam auditum opinionis tale portentum?

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

Forma corporum ſimilarium quæ ſunt mixtæ craſis eſt. Galenus temperamentum aliquando appellat naturam, aliquando formam mixti. Sed Ariſtoteles temperamẽtum diſtinguit à forma: neque enim, inquit, os debet ſuo temperamẽto quod ſit os; quia infinita ſunt eodem gradu ſicca quæ non ſunt oſſa, ſed meliori cuidam & diuiniori eſſentiæ hoc acceptum debet, cuius cauſa vnumquodque eſt id quod eſt. Forma eſt quæ dat eſſe rei, quæ rem alioquin indefinitam definit & denominat.

Totum nihil eſt quam ſuæ partes. Vt definitum nihil eſt aliud quàm definitio explicata, ſi malis totum in ſuas partes eſſentiales diuiſum, viciſſimque nihil eſt aliud definitio quàm definitũ coniunctis partibus eſſentialibus abſolutum: ſuntque definitio & definitum reipſa vnum, ſola differunt ratione. Ita totum nihil eſt quam ſuæ partes vnitæ, ab iiſdem tamen diuiſis differens.

Ad pag. 69.

Hermetica doctrina paucissimis probatur. Auctores quos hic recenses, aut fuerunt Chrysopœi, non chymiatri, aut Hippocratis medicinam chymicorum remediorum accessione illustriorem redde conati sunt, pauci cum Paracelso & Quercetano tuo nouam sectam à dogmatica differentem, nouam medicinam principiis, morborum causis, signis & remediis ab Hippocratica differentem, approbarunt. Neque enim Auicenna, Rasis, Mesueus, Villonouanus, Fernelius, Syluius, Hollerius, quos inter primarios chymiatros enumeras, principia probarũt quæ tu ipse appellas phantastica: neque sanitatem in phantasticorum principiorum mediocritate collocarunt, neque morborum causas ex illorum immoderatione deriuarunt. Quales qui ponunt, etiam te iudice sunt, dementes physici, desipientes medici. Neque remedia illa approbarunt, quæ tu ipse negas potius regi posse à natura, quàm venena. Cùm remedia præscribantur morborum causis, vt cholagoga ad bilem morbificam, qui negat morbos fieri à bile, poteſtne iure imperare cholagoga, an non potius sulphuritraha aut salitraha, quæ salem & sulphur (si fortè peccant quantitate) vacuent? Vis dicam, quæ fuerit istorum doctissimorum hominum de Alchymia iudicium? Idem quod Libauii in epistola ad Crenandrum, qua retractat quæcunque ebrius aut furiosus in Riolanum vomuit conuitia. Adscribam epistolam, ne recedat lector Libauimania fascinatus.

LIBAVII DE ALCHYMIA IVDICIVM, QVO SOBRIVS RETRACTAT, QUÆ EBRIUS ERUCTAUIT IN Riolanum conuitia.

*Q*Vi naturam destruit, potestne is eius esse amicus? potestne is probare, quod à sapientissimo architecto eà est instructum facie, qua & optimum esse visum est, & ad omnem humanæ vitæ rationem commodissimum? Contemplare chymicorum instituta. Integros quasi à matre sua accipiunt interdumque rapius partus. Hos fatis decorè apteque informatos reformant, natiuam faciem exuere cogunt, nouaque inducta ita adulterant, vt non agnoscas rem naturæ. Tantámne in hominem cadere proteruitatem? Qui cerussatam miniatamque vulgo ostentant faciem, qualis olim inter scorta sua concubinasque sedisse dicitur proclamatissimũ turpissimarum voluptatum mancipium Sardanapalus, suo vitio omnibus bonis sunt inuisi, molesteque inter homines versantur. At extremæ saltem cuticulæ illeuerunt mangonium, facile ad natiuum reditura illa. Quo odio illos prosequaris, qui intima cum externis peruertunt?

Imperfectam, dices, inabsolutamque naturæ sobolem perficiunt. Sed isto portento scelus scelere cumulabis grãdiori. Nego tibi naturam sibi relictam, imperfectum quid parturire nisi vitio alieno.

Nego si quid non perfecit natura, id arte Chymicorum posse absolui. Ab intimo motus perfectionis est.

nisi omnem temperaturæ vim in manu habeat sua Chymicus, edere perfectius quid nequit.

Sed quid ille perficiat? Immò perfectißima quæque naturæ opera exquisitißimo congerit studio. In his elaborat. Vesania est perfectißimo addere velle perfectionem. In vltimo quies est, nec vllus ei motus accedere potest alius quàm in contrarium. Imperfectum autem aduersatur perfecto. Corrumpit ergo Chymicus, non perficit amplius. Sed dono tibi aliquid perfectionis. Cùm absolutum est opus, quidnam tandem factum est? Phantasma nempe hominis vesani. Coctionibus enim fortuitis dum aßidet chymicus, quicquid fortuitò prodit, id eximiè effert, id pro essentia ignaris exhibet, cùm non raro effugiente essentia restent stercora.

Malè agitur cum hominum incolumitate, cum ægrotantium mente, somnia coguntur pro veris exosculari.

Tu ipse iudica an non essentia misti sit mista. At suis coctionibus misturam perdit ille tam præclarus artifex. Crasi destructa quidnam promet ex ella? Lutum nempè καὶ κόπρον, *seu cineres fauillamque vt pronunciat philosophus. Si ita laborare artis est; quemcunque corruptorem deprauatoremque naturaliū, pro artifice habeas. Quicquid in natura destruitur mistum, id simul perit totum, inque vltima redit. Non enim equi cadauer soluitur in truncum & membra, nec hæc vicißim in homogenea & heterogenea, ossa, carnes, cartilagines, cutem & reliqua. Ita si quid comburas, non exit seorsim sanguis, neruus, vena; sed omnia simul eodem atteruntur infortunio.*

Iam autem quod ad vltimum redactum est, id ancipitem habet ad omnia facultatem. Omnium enim materia est τὸ ἔσχατον *Elementa* καὶ ὕλη, *verè sunt*

πανσπερμία quædam seu omniseminarium. Quamcunque formam contingit ab aliquo operante immitti, eam capit. Si Chymicus formarum esset largitor, creator foret, qui nouas generare posset rerum species. Omnium item motuum naturalium, articulorumque esset conscius. Sic enim non aliter pro arbitrio formam largiretur. Sed quis tam prodigiosè amens sit & impius, vt vel sibi istud vel alteri hominum, ne si Prometheus quidem ille fabulosus sit, tribuere ausit. Si itaque quid procurat, id totum fortunæ erit, quo pacto cur non fiant omnia ex omnibus, cur non pro alexipharmaco venenum?

Rectius horæ collocantur in naturæ integritate spectãda. Abundantissima hæc sylua est. Innumeris hominum ætatibus non potest considerari percurrique quin semper aliquid denuo notandum illa sibi seruauerit. Hem tibi diuitiarum copiosissimarum mare. Hoc ingredere. Hic te exerce contemplando. Vita te deficiet prius quam omnia lustraueris. Sunt & veterum philosophorum monumenta tam plena abstrusæ cognitionis, & solertium inuentorum, vt hæc cognosse sit laboris studijque penè infiniti. Multas vidisti academias Germanas Italasque & Gallicanas, in qua non laborem illum laboriosissimum, quo explicantur saltem veterum sensa & phrases, deprehendisti? Tantum negotij est homini studioso, tantumque difficultatis, vt saltem sermonem philosophicum discat intelligere & rectè interpretari. Hinc tot controuersiæ scriptæ; hinc tot certamina instituta; hinc tot amplissimæ enatæ sunt laudes, vt si quis interpretem duntaxat agat bonum, nihil sibi deesse ad omnia summa putet. Quo vultu ergo ausit quis posthabitis illis omnibus chymiam irrepere?

Possit-

Poßitne in illa versari sine interprete? An tam delirus sit, vt quæ à mundi exortu tot anxia ingenia sollicitè inuenerunt, tradiderùntque per tot seculorum successiones, se vnum, eumque momentaneæ vitæ sine magistro inuenturum comprobaturumque arbitretur? Sed & finge istud fieri posse, existimatione: Ars enim non est nisi quæ vsu & experientia multorum est constituta compertaque seculorum, & à plurimis sapientißimis commendata. Mitto ista omnia.

Quid operæ precium ex sudore chymico te reportaturum opinaris? Hominem (vt antè dixi) obliuisceris: corpori tuo sulphureis & mercurialibus fumis, ignium halitosis spiritibus, & prunarum fauilla, immedicabilem comparaueris noxam. Tempus insuper quod corporis debetur quieti perdes. Nam non diu tantum, sed & noctu aduigilandum est flammis. Vsum valetudinis tuæ subtrahes Deo; subtrahes patriæ; intercipies amicis: surripies filijs, & propinquis, non nisi iam tabe correptus exesusque morbis & sepulchralis factus, manus hominum incurres, nec Deo nisi in lecto seruies. Quo scelere poteštne quippiam esse maius? Ingenium à natura accepisti ad omnia præclara natum, quotque laude hominum poterat cœlum attingere. Tu chymicus factus illud damnabis, & in imum terræ barathrum præcipitabis: In Trophonij antro & specu plutonico auernoque mineras manium perignes exagitando frustrà. In oculis & admiratione omnium poteras versari. Chymiæ opera eris in contemptißimis. Quid enim vilius rerum decoctore? Quid abiectius chymista? Mendacem & futilem hominem nominare qui volunt, Calendariographum dicũt, at qui sceleratum simul & impostorẽ, chymicum. Chymico conueniunt, & astrologica menda-

cia, conueniunt adulteria auri, gemmarum & omnium rerum. Chymicus si fuisset nullus, mundus exquisita infamia & facinoribus turpissimis careret.

Qui tonitrua illa humana, pestem perniciemque & stragem non viuentium tantum, sed & inanimatorũ inuenit, chymicus fuit. Execrabile illud omnibus sapientibus inuentum est. Qui chymiæ suam operam addicit, illorum omnium se approbatorem cultoremque profitetur. Hic sit ne vel vita dignus? Intellexerunt nimirũ hoc viri prudentes, & tot cruces chymicorum ceruicibus plenas erexerunt, totque cõpleuerunt carceres. Tollendæ ex hominum memoria sunt pestes, non augendæ.

In Chymicos impactæ sunt & iureconsultorum sententiæ. Chymicos imperatorum prætorumque damnarunt decreta. Chymicorum libri Vulcano sunt consecrati. Vbiuis penè gentium malè excepti chymici perierũt, adeo vt medicus ille summus Arnoldus *post sæuum carcerem mortem sæuiorem vix euitârit. Si chymicus fueris, continuò etiam magus audies. Est enim hoc scelus crimini illi affine. Et quia vtrumque exercuit nostro tempore, aut saltem præ se tulit Paracelsus. Et paracelsista simul & omnium deliriorum reus existimaberis titulo chymiæ. Poëta, Platone censore, ex libera ciuitate est exigendus, nec defuit, qui suo sibi carmine iugulum penè fregit. Quid de chymicis idem statueret viuus; quorum malè perditorum exempla extant passim? Non abest à Chymico veneficij suspicio, non abest adulterandæ monetæ crimen. Quicquid vbique scelerum est, id omne congeritur intorqueturque in chymiæ professorem. Palàm est conuitium hominis perditi profligatique.*

Opes Deus sustentacula humanæ vitæ iussit esse. his adiuuatur religio ornaturque. His belli pacisque tempo-

re ad salutem vtuntur humanam. Chymicus vt naturæ, cui destruendæ vnicè incumbit, hostis est, ita & opum tabes barathrumque & funus vltimum quicquid habet patrimonij quod contulerũt amici, quicquid fraudium congessit, & expilandis diuitum loculis comportauit, id in fauillam vertit. Pœnitet nimirũ ipsum natum esse aurum argentumque. Ad perniciem eorũ se studiosissimè accingit, & tanto bono miseram mortalium vitam fraudat. Legibus aliquando cautum fuit, ne quis chrysurgorum monetam poculorum gratia frangat. Qua lege prohibebitur ab integris & fractis chymicus? coruorum. Sunt tamen Chymici ipsi suorum suppliciorum non raro inuentores. Dum enim transmutando hydrargiro inhiant, se ipsos transformant citius in mendicos fauillamque & quisquilias hominum quam mercurium.

Grati sunt principibus, dices. Grati sunt, inquam ego, sed dum spe aurea iucundè demulcentur. Seruantur item & compellantur blandè tanquam multi precij homines, sed aut ad auri maria, aut suppliciorum tormenta. Itaque vbi in principum venerunt manus, aut offa eos explere aurea, nullo fine coguntur, aut vltima quæque expectare. Non sunt amplius sui.

Dicunt se medicinæ propagandæ & sanitatis procurandæ nomine extitisse. Sed cuius medicinæ? Eius nempe quæ veneficiis hominum minuit numerum, quasi nõ sat venenorum produxisset natura, ni chymicus sua professione illam augeret labem. Carnificinæ faciendæ, non medicinæ, quæ omnibus ætatibus mundi honestissimo excepta fuit ornataque hominum sapientissimorum præconio natos arbitreris. Si enim huic inseruirent sua certè omnia ad eius amussim instituerent. At Domini

diuinæ illius artis, quam etiam solis sibi arrogare dementer non erubescunt, esse quærunt. Tam ergo procul absunt à medicinæ honore, quàm quod longissimè. Tantū illis est cum hac commercij quantum cum amaracino sui. Specta operas eorum, quibus nefariè non restituerūt homines, sed necarunt: non adiuuerunt sanitatem, sed violarunt. Vtuntur sibi o furiosissimo & hydrargyro, cerebrum & omnia membra lacerante, eaque præbent ingerenda in ventriculum, quæ certa venena esse constat. Quidam ex tartaro nitroque senis ignibus aquam eliciunt, quam aqua regis mistam ægrotis magna quantitate propinant. Porrigunt cinabarim tam natiuam quā factitiam ex hydrargyro & sulphure confectam: calcanthi aquam haurire præcipiunt, omnia tanto cum cruciatu sæpè coniuncta, vt quidam cōuulsi interierint: alioqui laceratis erosisque faucibus ventriculóque cum incredibili vlulatu ad inferos discesserint: quibusdam cordis vena disrupta sanguinem vitalem cum anima profuderint: aliquibus punctura totius corporis exitiales extiterint, & omnino tot sunt exempla miserrimè à chymicis afflictorum, vt non immerito omnibus bonis ad mentionem eorum cutis obrigescat, & veluti tertiana concutiatur febri. Erastus certè non dubitauit ista medicamenta Diabolica nominare, vt quorum vim ne solertissimo quidem vsu possis anteuertere. Augent crimen istud & flagitium satis atrox mendacio atrociore. Negant ista sua corrosiua esse, quia ex salibus fiant, & his succis qui à veteribus & recentibus corpori cum cibo immittuntur. Sed quis non deprehendat vesaniam? Si nihil ab arte illa & ignibus acquirerent acerbitatis & acrimoniæ venenatæ, ferendi forent. At cum sæuissimis exurgant parenturque ignibus, adeò vt nul-

li forti metallo parcãt, ligna corrodant, vitra comminuant, cutem exulcerent & in vesicas attollant, non raro etiam carnes corrodant, quis non agnoſcat ex bonis & tutis rebus factas eſſe aquas nocentiſsimas? Ipſi ſuis diffidunt rebus adeo, vt vix ſeruare eos ſuccos præterquã in vitris denſiſsimis ſoleant, & non niſi minimam quãtitatem porrigere auſint, eamque cũ diluto copioſo, quæ res non niſi in certiſsimis venenis à medicis ſolet obſeruari. Quot tu cenſes hominum millia ſanata olim fuiſſe ſine Chymicis, & adhuc hodiè in vniuerſo mundo conualeſcere?

Si medicina optimè caruit chymicis per tot ætates, & loca, quæ intemperiæ agitent medicum, vt ea in artis vſum aſſumat? Felicius agitur cum his, qui ne nomen quidem chymiæ audiuerunt. A peſsimi enim veneni exulant ſuſpicione. Cogita quæſo quanta vis veneni ſit eius, quod in præſens iuuare creditur, ſed poſtquam à confidentibus & temerarijs aſſumptum eſt longo tẽpore poſt incautam naturam adeò opprimit, vt noxa ſit inemendabilis.

Hoc modo Paracelſi *laudanum infame factum eſt. Hoc modo & alia. Quid enim poteſt ſpei & ſecuritatis ineſſe illi, quod ante præparationem fuit indubitatum venenum? Finge chymica arte tolli aliquid. Certe ſi actum in præſens remoratur, aut propinquam potentiam retardat, remotiorem certè non poteſt auferre niſi re totaliter deſtructa. Nihil perit totum. Nec quoduis corrumpitur in quoduis, ſed omnia in determinatum ſibi, quod prioris aliquam & adhuc obtinet potentiam, ex qua poteſt eluctari & in actum venire. An non animaduertiſti ſcammoniam toties corruptam etiã in lacte purgare? Ne dubites ergo ex venenata re confectam eſſen-*

tiam, chymicorum ignibus non totam exuisse naturam, sed ex proxime veneno saltem factum venenum remotè, quod tandem interficiat, ita cinabaris primum iuuare creditur, sed tandem emergit pernicies, in his qui improuidè copioseque deuorarunt, nec ante noxam inflictam egesserunt.

Philosophos se nominant chymici. in hoc quanta est vanitas? Si vel vmbra somnium de philosophia chymia messet, eam ne in descriptione artium philosophicarum putes præteritam? Quò quis philosophus præstantior est, eò se alieniorem à chymicorum cohorte exhibet. Omnibus numeris ea sapientia, quanta cadere in hanc naturam potest, est absoluta à veteribus: omnem est complexus Plato, Aristoteles, & reliqui. De chymia quid hi? Tantum nempe quantum de carbonaria. Si aduertas posteriores philosophos, quibus artificium innotuit, condemnatum deprehendes. Tot sunt academiæ in vniuersa Europa. Nullibi valet eius artis professio, nempè indigna iudicata est liberalium & ingenuorum studiorum conditione. Et quis eam in publico sapientiæ suggesto pulpitisque doceret, ni vellet fraudum & imposturarum magister, imò barbarici buccinator proclamari? Non conueniunt castis scholis portenta illa vocabulorum, Turbith, Mercurius, Elixir, Rebis, Et quæ alijs vocibus longè aliud dicuntur indicare, sulphur, elementa, essentia quinta, & his similia, quæ quantum habent rei, tantum imposturæ & mendaciorum. Non in philosophorum professione chymia est, sed in hominū improbissimorum. Horum collegia admittunt quicquid vbique est fugitiuum. In his sunt aurifices nefarij, & adulterati auri argentique rei: in his flagitiosi & à diuina vocatione desciscentes capellani: Organicines teme-

varij, vetulæ putidæ, barbitonsores olidi, rabulæ periuri, & ad peierandos Deum, hominesque parati: astrologi mendacissimi, monachi maximè deliri, Iudæi virulenti scelerati que, magi pestilentes, & eius generis multi. Quò enim nefarior quisque est, & vanitatum studiosior, eò chymiæ deditior: quò ordinis sui desertor contaminatior, eò chymiæ appetetior, vt ita chymiæ professio sit proluuies & chaos impuritatis & fecum humanarum, & hominum nefariorum illecebra portusque. Huic tu locum inter philosophos concedas? Cum tali homine tu vel ambulare nauigare ve sustineas?

Ad authorem Hermetem refertur, quem eximia sapientia præditum fuisse narrant. Si scripta eius intuearis tenebrionem agnoscas, & mundi deceptorem. Si enim bonus fuit, & posterorum cõsulere commodis voluit, non debuit caligine inuolutam doctrinam respergere, & amplissimis promissionibus nihilominus ad inexplicabiles perplexitates lectorem inuitare. quæ res postea camarinam impostorum progenuit. Passus ille fuit se trismegistum appellari, aut etiam ipse mercurij, qui pro Deo habitus est, nomine arrepto sibi istud imposuit vocabulum. Hic quid non latet arrogantiæ? Quid non impietatis? à tali arbore potest ne bonus legi fructus? Si consideres successores & totam illam turbam pseudonymon *philosophorum ipsam obscuritatem & plusquam Ægyptias, Cymmeriasue, inuenias tenebras.*

Semper fuit magiæ, Idolomaniæ, & similium artium suspecta Ægyptus, matri consentit filia. Itaque nullus erit chymicus. quin tergiuersator sit. Magus sit, impostor, tenebrio, & falsa pro veris specie religionis cum magno supercilio proponens, quales homines si nunquam euomuisset tartarus, à tartareis medicinis & in-

Χημία. chamia.

fidijs, viueremus immuniores. Persuadent simplicibus se auri succos, & quintas essentias apparare. Item & modum aperiunt nulli. Quis sutor tam est extreme insidus aut delirus? veritas gaudet propatulo, nec subterfugit peritorum iudicia. In publico opera sua æstimanda proponebat Appelles, nec dißimulabat artem. Chimyci censores ferre non possunt, artemque tam occultant, quam sacra Eleusinia. Si discipulum profitearis, oportet te silentium iurare, non aliter ac hi qui in improbissimorum nebulonum sicariorumque admittuntur gregem. Cui bono non est illa res suspecta fraudis? Sanctitas, maiestas & bonitas non ita in angusto se premunt; sed agnosci quærunt. Illi nullam aliam celandi causam habent, quam vt omnium rerum imperitissimi, vanissimique cùm sint, nihilominus nescio quam sapientiam & maiestatem mereantur; quod studium primitus fuit, omnis arrogantiæ & mendaciorum parentis mali genij, cuius naturam id sapit, quod ab eo progenitum aut informatum. Et ne dicas me verbis te circumducere aut circumscribere, considera portentosa ipsorum præconia. Essentiis & medicinis suis singulis ea asscribunt, quæ nec diuinis nec humanis literis vlli creaturæ aßignata legas, & quæ ipsa refellit experientia. Aßyluanus, quem nosti, suæ cinabari quid non tribuit? Quid vspiam est blandimentorum, facilitatis, auxilij, quod non cum maxima nugacitate & precio immenso vilitabiectoque arrogat pulueri? Alius quidam oleo salis, per quod sit factum aurum potulentum, aut dissolutum, incredibilem ad omnes morbos omnis ætatis, ad passiones omnes efficaciam aßignat. Mentiri tam impudenter vir bonus erubescit. Putasne illos esse bonos? Obtunderem te, si tibi faciem disciplinæ paracelsicæ depingerem. Omnia

nia monſtra in vnum congeſta cum ſumma audacia, temeritate, inſcitia, impietate, veſaniaque audires. Itaque deſines tandem nimis admirari chymicos, nec facilè te credes arti fallaci. Hæc placui tecum hac epiſtola diſſerere. Si contexenda foret oratio Ciceroniano genio Philippicæ numero longe vincerentur. Tu tibi de impoſtoria chymia caue, & me monitore ab illa abſtine. Vale.

Errata ſic corrigito.

Pagina 12. pro ſtrinxere, *lege* ſtruxere. pag. *14* pro notis *lege* nobis. Pag. 21. *lege* reſpondebat Pag. *44* pro carnē, *lege* canem. Pag. 89. pro egerar, *lege* egear. pag. *95* *extrema linea*, *lege* excernit. Pag. 96. pro craſis, *lege* criſis. Pag. 110. pro vtilius, *lege* vt illius. Pag 111, *lege* non poſſunt illius. Pag. 142. *lege* controuerſia. Pag. *143*. *lege* diſſenſio. Pag. 149. *lege* Gigantum. Pag. 177. pro πὸ, *lege* τὸ: ibid. *lege* τὸ ἔσχατον ὕλη.

N

COLLEGIVM Medicorum in Academia Parisiensi legitimè congregatum Ioannis Riolani responsionem ad Libauimaniam, pro censura Scholæ Parisiensis aduersus Alchymiam lata probat, & luce dignissimam iudicat: Quartam Medicinæ sectam ab Hippocraticâ principiis, morborum causis, signis, & remediis differentem iterum, atque iterum reprobat. Decernit, Vt Riolano publico nomine gratiæ referantur, eique & posteris ad perpetuam tanti beneficij memoriam hoc monimento honos habeatur. Hortatur Medicinæ studiosos, Vt in Hippocraticâ doctrinâ constanter permaneant: prohibetque ne quis ex Medicorum Parisiensium ordine cum istius sectæ fautoribus Medicinam exerceat. Qui secus fecerit, scholæ emolumentis & Academiæ priuilegiis priuabitur, & ex Medicorum regentium albo expungetur. Datum Lutetiæ in scholis superioribus 6. Idus sextil. anno Dom. 1606.

DV PORT, Decanus.